



Stochflecke

G. J. 1700

Thes. P. VIII. 367 641.

11
EXPLICATIO

ἑλεγκτικὴ

Evangelii Dominicæ quartæ
post Epiphaniarum Festum.

Quam

DEO DVCE

P R E S I D E

Dn.

JOHANNE GERHARDO
DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO.

Suo

*Patrono, Præceptore & favitore æter-
nùm honorando*

P U B L I C E

ad disputandum proponit

WILHELMUS EGGELINGUS
Cellensis Saxo.

Ad diem

ANNO M DC XVII.

J E N Æ

Typis TOBIAE STEINMANNI.



*Reverendissimo, Illustrissimo, Celsissimoq;
Principi ac Domino, Domino*

**CHRISTIANO
ELECTO EPISCOPO
MINDENSI, DUCI BRUNSVI-
CENSI ET LUNEBURGENSEI,**

Domino meo Clementissimo

*Theologicas hasce positiones
humiliter dedico, demissèq;
offero*

**Wilhelmus Eggelingus
Cellensis Saxo
Autor & Respondens.**

ANNO MDCXVII

JENAE

Typis Johannis Steinmannii





Εὐαγγ. τοῦ Θεοῦ ἡγουμένου

EVANGELIUM

DOMINICÆ IV. POST

EPIPHAN.

Matth. 8. à v. 23. usq; ad v. 28. Marc. 4. à v. 36. usq; ad finem cap. Luc. 8. à v. 22. usq; ad v. 26.

Themation. I.

Inter varios errores, quibus delusa *Proœmium.*
olim gentilitas laborabat, hic unus erat, quod
mundi regnum credebant Deos ipsos inter se,
humano more, fuisse partitos; Jovi enim cœ-
lum, Plutoni inferos; *Neptuno* verò fratri ma-
ria fortè contigisse, delirabant. Unde sunt illæ
ejusdem apud Maronem *l. 1. Æneid.* voces, quibus ventos, regnum
suum infestantes, corripit, dicens:

*Maturate fugam, regiꝫ hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi, sævumꝫ tridentem,
Sed mihi sorte datum*

Hinc quoq; apud *Ionam c. 1. v. 5.* quisq; nautarum suum Deum
invocabat. Versabantur enim miseri isti homines, lucerna verbi
divini destituti, in summis tenebris; & opinabantur, si vel Neptu-
num vel alios Deos marinos invocarent, se è periculis suis eripi
posse. Ad hanc ergò cœcitatem ex humanis mentibus pellendam,
Salvator noster, ubi tot miranda prodigia edidisset in terra, tran-
sit ad mare, ut se terræ, maris, aëris, & omnium Elementorum
Dominum comprobaret. Sicut *Psalmes regius* de ipso multò antè
vaticinatus erat *Psal. 89. v. 10. & v. 26. 107. v. 28. 29.* quæ vati-
cinea luculentè in hoc præsentī textu sunt impleta; dum discipu-
los, in extremo maris periculo constitutos, unico verbo, à pericu-
lo & metu maximo liberavit, increpando ventum & fluctus:
quod



quod factum omnes in stuporem vertit, ut cum admiratione quaerere incœperint, quis ille sit, cui venti & mare obedirent? Nam ad hoc miraculum nihil est divisio maris rubri facta à Mose Exod. 14. nihil scissura Jordani tempore Iosue, Ios. 3. nihil ruptura maris facta pallio Eliæ, 2. Reg. 2. Hi enim omnes aliena virtute præstiterunt ea omnia; Christus autem propriâ maiestate & potentiâ, ut verus ille Deus, qui facit mirabilia solus Psal. 172. v. 18, ut admirabilis ille filius hominis, cuius pedibus omnia sunt subjecta Psal. 8. v. 8.

Partitio
textus in
tria capi-
ta.

II. Nos, quod summus noster Navarchus bene vortat, miraculi hujus Expositionem ad tria revocabimus capita, quorum I. enodabit *τὰ ἀπορρέμενα Antecedentia*. II. *τὰ ἀπαχθέντα concomitantia*. III. *τὰ ἐπόμενα consequentia*.

1.
*τὰ ἀπορρέ-
μενα conti-
nent*
Temporis
descriptio-
nem.

III. Ad Antecedentia hujus miraculi referri possunt 1. Tem-
poris descriptio, quando contigerit hoc miraculum; nempe anno
primo ministerii Christi, & anno tricesimo primo ætatis suæ,
postquam descendisset de monte, & mundasset leprosum, ac curas-
set paralyticum servum Centurionis, & alios infirmos; & quidem
vespere illius diei, quo Christus prolixam istam concionem para-
bolicam, quæ Matth. 13. cap. describitur, ad finem perduxerat, no-
tante hoc Marco 4. v. 35. In more namq; hoc positum habuit Chri-
stus ut post habitas conciones insignes, insignia quoq; miracula
ederet, idq; duplici de causa 1. ut traditæ doctrinæ certitudo con-
firmaretur Marc. 16. v. 17. Toban. 5. v. 36. 10. v. 37. 14. v. 11. 2.
ἀπαχθῆς atq; usus in exemplis monstraretur.

Exceptio-
nes Jansenii.

IV. Dissentiunt in hac circumstantia temporis nonnulli scri-
ptores Pontificii, ut Jansenius in Concord. Evangel. t. 30. p. 196. expres-
sis verbis contrarium statuens: transfretationem non eadem
illa die contigisse qua Dominus parabolas è navi dixerat. Hancq;
suam opinionem tribus fundamentis probare annititur 1. ex eo
quod Mattheus ante istas parabolas hanc transfretationem describat. 2. quod
Mattheus dicat cap. 13. v. 36. Christum dimissis turbis venisse in domum ac
tunc discipulos interrogasse intellectum parabolæ de zizaniis. Ergo hinc vult
concludere Dominus eodē die domo iterum non est egressus, sed
ibidem mansit, nec transfretavit. 3. quod Lucas postquam illas para-
bolas commemorasset, statim subjiciat cap. 8. v. 22. factum est autem in
una dierum & ipse ascendit in navim. Ex quibus verbis sic colligit: si
eadem

eadem die, quæ sequuntur, gesta fuissent, quâ superiora, certè di-
cturus fuerat: factum est in hac die, non autem factum est in una
dierum; itaq; cum dicit Marcus, factum est in illa die cum sero ef-
set factum, intelligendum diem positum esse pro tempore, ut sit
sensus: factum est in illo tempore, quo scilicet Christus prædica-
bat in Galilæa. Idem statuunt *Iohannes de La Haye cum Euthym. Tom. 1.*
Triumpho Veritat. super h. l. & Barradius Tom. 2. Conc. Evangelist. l. 5.
cap. 15. p. 317.

V. Nequaquam verò hæ ratiunculæ tanti sunt momenti &
ponderis, ut nos à nostra sententia, & interrupta serie ac cohæ-
rentia historiarum Evangelicarum, quam *B. Chemnitius l. 3. part. 2.*
Harm. Evangel. cap. 54. ad oculum demonstrat, dimoveant. Nam
quod ad 1. attinet liquidissimè, ex accuratâ lectione Evangelista-
rum, constat, eos non semper omnia dicta & facta eo ordine &
tempore recitasse, & consignasse, quo acciderunt, sed multas Hi-
storias per anticipationem & trajectionem conscripsisse; In quo-
rum numero & præsens historia est habenda, in cujus recitatione
Evangelista Matthæus verum ordinem temporis non observavit,
sed per transpositionem eam consignavit. *Marcum* verò, tanquam
ducem, & monstratorem ordinis, tutò heic sequi possumus, qui
scribit, Christum vespere illius diei, quo concionem parabolicam
habuerat, instituisse cum Apostolis transfretationem in terram
Gergesenorum, cum quo & *Lucas* consentit, qui etiam navigatio-
nem illam parabolæ de semine subjungit *cap. 8. v. 22. & seqq.* Ad
secundum *ἡνιοφύγεται* respondetur, Christum quidè, ad finem de-
ductâ primâ concione, quam prope mare habuerat, domum con-
cessisse, dubio procul, quasi illa nocte ibi esset mansurus, & quieti
se traditurus, ut qui totum diem miracula edendo, cum aceri-
mis hostibus disputando & concionando, vires consumserat;
domi quoq; rogatum à discipulis parabolam de zizaniis explicaf-
se; verum cum videret turbam dimissam rursus ad ædes in quibus
morabatur *Jesus* turmatim confluere, animum mutavit, & man-
datum dedit discipulis de transfretando in ripam ulteriorem, eo-
dem die, ὁ *Ἰησους* γενόμενος *vespera facta*, quæ apud Judæos hora nona,
hoc est, post tertiam nostram pomeridianam incipiebat. Ad 3.
Resp. Quod quando *Evangelista Lucas cap. 8. v. 22.* dicit: factum est
ἓν μίαν τῶν ἡμερῶν in una dierum, vocabulum *μίας* non indefinite esse
accipien-

Responso-
nes ad ans.
object.



accipiendum, pro quodam die uti *Erasmus, Iansenius, Barradius, Eubymius*, & alii reddiderunt, sed pro primo die septimanæ, qui nobis est dies dominicus, quo modo passim in Historia Evangelica per *μίαν* sive τῶν ἡμερῶν sive τῶν σαββάτων primus dies septimanæ intelligitur, sicut manifestè videre licet in historia resurrectionis Christi *Marc. 16. v. 2. Luc. 24. v. 1. Iohan. 20. v. 1. & 19. Act. 20. v. 7. 1. Cor. 16. v. 2.* Desumptum hoc est ex *Mose* qui *Gen. 1. v. 5.* scribit, quod postquàm Deus creasset lucem, eamq; à tenebris distinxisset, facta fuerit ἡμέρα μία dies una, scil. septimanæ. Hinc *LXX.* Interpretes hoc observant, quod quoties primum diem sive mensis, sive septimanæ, notare voluerunt, eam vocarunt τὴν μίαν *Exod. 40. v. 2. Num. 1. v. 1. Ezech. 26. v. 1. Hagg. 1. v. 1.* Hic dies loco Sabbathi postea totus est consecratus, & sacris ministerii exercitiis destinatus, indeq; ἡμέρα κυριακή dictus *Apoc. 1. v. 10.* Cujus mutationis Sabbathi Judaici in dominicum diem Christianorum, præludium aliquod fuit, quod Christus sæpius primum diem septimanæ proximum à Sabbatho, quàm alium, docendo, & miracula edendo, insumserit, ut scribit *Chemnitius l. 3. part. 2. Harm. Evang. cap. 64.*

2. Christi
in navicu-
lam ingres-
sionem.

VI. Progressus itaq; Christus è domo extra urbem ad navale usq; turbam, quæ catervatim sequebatur, dimisit; ipse vero cum discipulis in navim ascendit, ut *Matth. cap. 8. v. 23. & Lucas cap. 8. v. 22.* tradunt. *Marcus v.* scribit quod discipuli, qui præverant, eum assumserint, ita ut erat in navic. 4. v. 36. Et hoc alterum est, quod heic notandum, Christi videl. in naviculam ingresso. Circa quam ex Evangelistarum collatione & narratione, quæ hic aliquo modo variat, sequentia sunt evolvenda: 1. quod εἰς τὸ πλοῖον in navim interpretes nonnulli vertant diminutivè, tanquam si scriptum esset εἰς τὸ πλοιάριον in naviculã, quod sibi persuadeant, id quod facilè creditum est, non admodum magna navigia hic adfuisse, sicut ferè solet parvorum sive ad trajectum sive ad piscationem usus esse. Triplicem verò ob rationem Christus in navicula & non in majori navic trajicere voluit. 1. propter commendandum miraculum, quod majus esse claret, cum parva navicula in tam magna tempestate non obruitur, 2. propter humilitatis exemplum. Nam contra superbiam hominis Christus veniens, in omnibus humilia & parva elegit, 3. propter designandum mysterium, ut per pœnitentiam, & crucis tolerantiam, quæ duo huic naviculæ comparantur, ut infra *thes. 18.* audiemus, discipulos

discipulos Christi sequamur. II. quod Mattheus significet Christum
 præcepisse discipulis suis transfretare antequam esset in navi v. 18. Lucas vero
 & magis adhuc Marcus indicet, id præcepisse illis cum jam esset in
 navi. Sic enim Lucas habet: Ipse ascendit in naviculam & discipuli ejus,
 & ait ad illos; trajiciamus in ulteriorem ripam. Verum, ut omnium Ev-
 angelistarum constet narratio, cum Iansenio Harm. Evangelist. c. 3. p. 196.
 & Barradio Tom. 2. in Concord. Evang. l. 5. c. 15. dicimus bis & fortè
 etiam ter dicta esse hæc verba à Domino transfretemus 1. longius à
 navi cum adhuc in civitate esset, quod vult Mattheus. 2. cum jam
 ad mare accessisset. 3. cum navim cum suis discipulis conscendisset,
 referente Luca. III. quod à Luca bis repetatur & ascenderunt cap. 8.
 v. 22. quod ultimum tamen, ἀνέβη, non significat ascendisse di-
 scipulos in navim, hoc enim prius ἀπέβη innuit: sed solventes à lit-
 tore ascendisse in altum seu profundum maris. Est enim verbū ἀπέβη
 quod significat è portu solvo, ideoque Pagninus vertit: & solverunt. Bi-
 bliæ regia, & proveci sunt. IV. Quod Marcus dicat discipulos Christum assum-
 sisse ita ut esset in navi c. 4. v. 36. quæ verba variè à variis explicantur.
 Barradius Tom. 2. in Conc. Evangelist. l. 5. c. 15. p. 317. quadruplicem
 horum verborum sensum adfert 1. scribit assumunt eum in pelagus ita
 ut erat in navi; quomodo autem erat in navi, docet idem Marcus, cum sic ait
 v. 38. & erat ipse in puppi super cervical dormiens: Etenim Dominus fessus
 ambulando & concionando in puppim se receperat; & super cervical con-
 quiescebat. Hunc igitur situm Evangelista indicat, cum ait, assumunt eum ita
 ut erat in puppi, super cervical, ut postea dormiret. 2. Et dimittens tur-
 bas assumunt eum in navi, vel in navim, ita ut erat cinctus turbis, quasi dicat,
 è medio multitudinis, quæ circumdabat illum, susceperunt eum in scapham.
 3. Assumunt eum in navim, ita ut erat sine cibo aut potu ullo, non enim
 curabat Dominus cibum itineri necessarium. 4. Illud, ita ut erat, refertur
 potest ad navim in hanc sententiam: assumunt eum in navim, ita ut erat,
 scilicet navis, sine ullo ornamento, sine ullo tapete, assumunt eum in ipsas
 navis tabulas, in quibus jacens somnum coepit. Iansenius Harm. Evangel.
 cap. 30. p. 196. ita hæc verba Marci explicat: discipuli dimittentes tur-
 bam, h. e. separantes se à turba, solvendo scilicet à littore, assumserunt eum in
 altum scil. & profundum maris, sicut erat in navi, docens populum. Non
 est illud in navi conjungendum est cum verbo assumserunt, quasi prius non fuis-
 set in navi, nam sic dicendum fuisset in navim: sed significare voluit Evan-
 gelista discipulos jussos transfretare Christum, ita ut sederet in navi, docens
 populum.

Volunt in elin

populum antequam situm illum mutaret, quem postea mutavit, significans hoc modo promptam ac celerem executionem discipulorum. Chemnitius in Harm. Evang. l. 3. part. 2. c. 64. binas horum verborum explicationes adfert & dicit: hæc verba vel, 1. ita accipi possunt, quod non sit facta magna præparatio & importatio comæatus, aut aliarum rerum necessariorum; sed sicut ex domo suâ accesserat, ut ita conveniat cum eo, quod modo scribæ dixerat, se non habere quo caput inclinet Matth. 8. v. 20. vel 2. quod ita se in navim composuerit, ac si denuo ex ea concionaturus esset. Conveniunt hæc explicationes ferè cum tertiâ Barradii & Iansenii; cumq; præ reliquis textui videantur accommodatiores, illas, relicto interim unicuiq; de reliquis liberè judicandi iudicio, hoc loco retinemus.

3. Concomitantium multitudinem.

VII. Et ad tertium hujus primi capituli membrum properamus, quod est: *Concomitantium multitudo*; quæ fuere discipuli Christum secuti: itemq; navigiola alia, quæ cum Christo erant Marc. 4. v. 36, ubi per metonymiâ subjecti auditores & spectatores Christi, qui in aliis navigioliis vehebantur, sunt intelligendi. Quavis enim Dominus plebi valedixerat, atq; sic eam dimiserat: tamen non omnes volunt discedere, sed quidam ipsorum alia navigiola arripiunt, & in iis ipsum sequuntur, quem enim totum diem concionantem audierant, eidem silenti adhærere cupiunt, ut vel ex solo conspectu, vel præsentia, consolationem aliquam, & spirituale gaudium haurirent. Cajetanus putat, naves illas initio quidem, cum jam discipuli Dominum in mari assumerent, cum navi, in qua erat Christus, fuisse, verum eas ibi derelictas, nec simul cum navi illa profectas. Sed rectius secundum alios intelligitur, & hæc simul cum Christo profectas imò & idem periculum perperas fuisse, quia 1. Marcus hoc disertis verbis asserit cap. 4. v. 36. & alie naves erant cum illo, vel cum illa, nam apud Græcos relativum αὐτῶ referri potest vel ad Christum, vel ad dativum πλοῖον, id est navi, 2. quia Matthæus v. 27. dicit, homines miratos dixisse, qualis est hic? non dixisset autem homines, si soli discipuli hujus miraculi spectatores extitissent, & admirati fuissent, & non etiam reliqua turba.

4. Loci denominationem.

IX. Quartò, loci denominatio à Luca quoq; additur cap. 8. v. 22. his verbis: *Trajiciamus in ulteriorē ripam stagni* Matth. v. 24. vocat mare, phrasi Hebræorum, qui quamvis aquarum collectionem mare appellitare consueverunt. Complura verò iste lacus sive stagnum sortitur nomina, 1. dicitur *mare Galilææ* à regione Galaaditide, juxta quam

quam sicum est, & quam à regione Gadarenorum separat. 2. *Lacus Tiberiadis.* 3. *Genesareth*: Et fuit aquæ admodum dulcis ac potabilis, habens longitudinem centum stadiorum, & latitudinem quadraginta, undiq; in littora & arenas desinens, teste *Iosepho l. 3. de bello Iud. cap. 18.* juxta hoc mare seu stagnum Jesus plerunq; versabatur, docebat, miracula edebat, quamdiu in Galilæa agebat. Jam, quietis ergò, ad illud se recepit, & in ejus ripam ulteriorem, sive oppositam, cum discipulis transfretare fuit animatus. Tria enim Dominus legitur habuisse *refugia: maris scil. montis, & deserti*, ad quorum unum refugit, quoties à turba fuit compressus.

IX. Quid vero V. inter navigandum accidit? *Periculosa maris* 5. *Maris commotio v. 24.* Et ecce motus magnus factus est in mari, adeo ut navis operiretur fluctibus. Describitur hæc tempestas 1. *particula notante idè, Descriptio exorta Tempestatis.* Ecce, quæ est Asteriscus Spiritus sancti, cujus usus admodum frequens est, quoties in Scripturis aliquid benè notandum, diligenter intruendum, & accuratè considerandum proponitur, sicut exempla ostendant *Iohan. 1. v. 36 Marc. 16. v. 6. Ioh. 19. v. 14. Esa. 12. v. 2. cap. 7. v. 14* interdum etiam hæc particula alia significationis officia in Scriptura obit. Significat enim 1. *promptitudinem alicujus, qui paratus est ad obediendum ut 2. Sam. 15. v. 26. Psal. 40. v. 8. Esa. 6. v. 7. Luc. 1. v. 38. Hebr. 10. v. 7.* 2. *affirmationem & certitudinem Genes. 1. v. 29. cap. 16. v. 2.* 3. *monstrat & exhibet rem presentem Genes. 29. v. 1. Exod. 32. v. 9.* 4. *Nonnunquam etiam est particula expletiva, & ferè otiosa Exod. 31. v. 6. Vide Dn. Doct. Finckium observat. 3. super hanc Domin. II. à causa procreante, quæ fuit Luca 8. v. 23. & Marco 4. v. 37. testibus turbo venti in lacu descendens. In græco est vocabulū καίμινον κατὰθεν ἀνω ventum violentum qui infernè sursum versus repente contrahitur. Hic vehemens & procellosus ventus, navim apprehendens, rapavit & rotavit, quo periculo nullum aliud in aquis interitui potest esse propius. III. à fluctuum in navim irruptione, quorum tanta copia in navim projiciebatur, ut ipsa à fluctibus operiretur, & aquis marinis impleretur, haut secus, quam hydriæ in nuptiis Galilæis impletæ fuerunt *Iohan. 2. v. 7.* ut dictio græca apud Marcum 4. v. 37. *γερμιζομαι*, qua Evangelista illic loci etiam usus est, innuit. Ex quibus colligere licet, non fuisse hanc tempestatem vulgarem: sed inusitatam & supra modum terribilè, ac si quidam terræmotus factus*

B

factus

factus esset, unde etiam *σεισμός* dicitur, quæ vox talem concussio-
nem & quassationem significat, qualis in terræmotu fieri solet. Et
quamvis naturæ viribus hanc tempestatem potuisse contingere
non sit dubium, attamen à Christo miraculo fuisse effectam, *Chry-*
sostom. docet his verbis: *Non ex se orta est tempestas, sed Christi imperio.*
Et *Origenes hom. 6.* *Tempestas, inquit, non ex se orta est, sed potestati pa-*
ruit imperantis ejus qui educit ventos de thesauris suis. Item: *Ingressus Do-*
minus in naviculam facit turbari mare, commovit ventos, concitavit fluctus,
corpore dormiebat, divinitate verò mare concitabat. Causam hujus com-
motionis & concitatæ tempestatis, *Beda in Luc. 8. ex Ambrosio sta-*
tuit fuisse Iudam proditorem, qui unâ cum reliquis discipulis in navi
vehebatur, Sed non videtur hæc causa satis prægnans & valida,
nondum enim 1. Judas tum temporis erat impius, ita ut proderet
suâ impietate. 2. ortâ tempestate reliquæ quoq; naviculæ, in qui-
bus Judas non erat, non fuerunt prorsus extra discrimen, Ergo Ju-
dæ probitati vel improbitati hæc procella simpliciter tribuenda nõ
est, Sed verius & rectius docetur, Christũ hanc tempestatẽ excitasse,
vel potius Diabolo excitari permisisse 1. propter divinæ potentie de-
clarationem, quod ille ipse sit, de quo Psalmista canit Psal. 88. v. 10. Tu
domniaris potestati maris, Item Psal. 106. v. 29. 135. v. 6. 139. v. 9. Esa. 51.
v. 10. 44. v. 27. Ierem. 5. v. 22. Job. 9 v. 26. Hinc Augustinus: facta est
magna potestas, ut magnum appareret miraculum, 2. propter discipulorum
instructionem, ut Apostoli discerent, quantum adhuc ipsis deesset
ad perfectionem Apostolatus, utq; hanc imperfectionem fidei,
agnoscerent; & de Christo majorem fidem & existimationem
conciperent. Unde Theophylactus: permisit, inquit, Dominus tem-
pestatem oriri, ut discipuli exercerentur, & ut per miraculum crederent. Et
Johannes Ferus super h. l. p. 151. scribit: Tempestas orta est, ut discipulis
incuteret timorem, timor compelleret ad clamorem, clamor & oratio induce-
ret Christum ad miraculi operationem, miraculum duceret homines ad fidem.

8. Cristi ob-
dormitionẽ

X. VI. Consideranda venit Christi obdormitio. Inguente n. tem-
pestate, Christus ex præcedentibus laboribus diurnis fessus, obdor-
mivit in puppi v. 24. & quidem super *Cervical*, quod *Marcus* addit 4.
v. 38. Hoc *Cervical*, dicit *Euthymius*, ex ligno in ipsa puppi fuisse fabricatũ,
Idem quoq; statuit *Theophyl.* super *Cervical*, inquit, dormit, quod in
navi erat, nimirum ligneum. Sed *Barrad. Tom. 2. Conc. Evangelist. l. 5. c. 15.*
p. 318. ad hoc ita responderet: Nomen græcũ *κεφάλαιον* à capite deri-
vatũ, & latinũ *Cervical*, à *cervice* deductum pulvinar significat, quod capiti
sive

sive cervici supponitur. Unde hac explicatio de ligneo non potest subsistere.

Non a. simulatus hic somnus fuit, ut quidam putant, sed verus & naturalis, sicut *Jonas* verè dormivit in navi *Ion.* 1. v. 5. Loquitur quidè Scriptura aliàs de Deo quasi dormiat, ut *Psal.* 44. v. 24. *Evigila, ut quid dormis Domine?* *Ier.* 31. v. 26. sed hæc dicta non *διωπέτος* sed *ἀρδεω-σώσα* *δὲ*, & secundum nostrum sensum, ad quem se Scriptura accomodat, sunt intelligenda; relatâ hûc consolatione *Psal.* 121. v. 4. *Ecce qui custodit Israel, non dormit, neq; dormitat. Et quomodo dormiret qui sic curat unumquemq; nostrum, tanquam solû curet, & sic omnes tanquam singulos?* *August.* 1. 3. *Conf. c. 11.* In hac historia autè Christus verè dormivit, juxta humanâ naturâ, interim nihilominus ut verus Deus vigilavit, omnia vidit & audivit. Non n. est mutus vel surdus, ut *Baal* 1. *Reg.* 18. aut cæcus ceu *Jupiter Cretensis* & *Plutus*, nec interdum absens aut peregrè profectus; sed ubiq; præsens omnia videns & omnia potenter regens. Cur verò hic Dominus in difficilimis Apostolorum periculis indormit? 1. ut ostenderet susceptæ humanæ naturæ veritatem. Unde *Lyranus*, dormis, inquit, Dominus ut veritas humanæ naturæ in eo ostenderetur, & ut discipuli, in periculo positi ad ipsum recurrerent. Et *Origenes*: Est, inquit, res mirabilis, & stupenda, qui nunquam dormit neq; dormitat (scil. Deus) dormire dicitur, dormiebat quidem corpore, sed vigilabat Deitate, demonstrans quod verum humanum portabat corpus. 2. Ut ex orta tempestate, ipso dormiente, major esset timoris & invocandi ejus opem occasio, si enim ipso vigilante tempestas hæc oborta fuisset, aut non tanto pere timuissent discipuli, confisi incarnali Magistri vigilantis præsentia, in qua toti defixi erant; aut fluctuum sedatione ipsi non adtribuissent. 3. secundum *Hilariu* Christus quoq; dormivit, ut afflictis hominibus Deum sæpè quasi dormire doceret dū liberare non festinat. Nam Christus Deus aliquib. semper vigilat, ut beatis in cælo; aliquibus semper dormit, ut in inferno damnatis, quos nunquam liberat: aliquibus aliquando vigilat aliquando dormit; ut hominib. in hoc mundo existentibus, vigilat cum in afflictione vel in periculis adjuvat vel liberat, sed dormire dicitur, quando illos tribulari permittit.

XI. VII. Et ultimò heic occurrit Christi à discipulis excitatio & 7. Christi
opis imploratio v. 25. his verbis: *Et accedentes discipuli excitaverunt eum* excitatio-
dientes, *Domine serva nos, perimus, Marcus habet c. 4. v. 38. Præceptor non est* nem, ejus-
tibi curæ quod perimus. *Lucas 8. v. 24. præceptor, præceptor perimus. Qui* dem q; opis
bus titulis rationes includunt cur ad Jesum accurrant 1. quia de- tionem,
beat, 2. quia possit opem ferre. Quod debeat, id inde eliciunt, quia sit

διδάσκαλος & ἐπιστάτης, quâ voculâ peculiariter *Lucas* delectatus est, dum bis illam repetivit. Nam *ἐπιστάτης* præterquam quod Præceptorem vel Pædagogum designat, propriè significat *curatorem alicujus rei*, idem quod *ἐπιμελητής* qui diligentem curam gerit, sicut dicuntur *ἐπιστάται ποιμνίων* gregis curatores; & *γυμνασίῳ ἐπιστάτης* Gymnasia curator. Sed & ii qui Reipubl. curam gerunt *ἐπιστάται* dicuntur ut ex Suida constat. Et in acie *ἐπιστάτης* dicitur, qui alteri commilitoni est substitutus, ut ei succenturiatus succedat, *ὅστις ἐξ ἰσθμῶν ἐστὶν*. Ita etiam 4. Reg. ult. v. 19. respondet hebræo *פִּקֵּר* quod significat eum, cui administratio aliqua commissa est. Itaq; non potuit hic Christus discipulis denegare suum auxilium, & protectionem, cum illis sit præfectus à Deo, & ipsi sint ejus curæ commissi, ut salutem ipsorum procuret. Quod vero possit auxiliari, id illo vocabulo indigitatur, quod ipsum vocant *κύριον* Dominum, quod quidem nomen respondet Tetragrammato *Jehovæ*, & designat omnipotentem Dominum, cujus mysterio omnia sunt subjecta. Hoc in loco Syrus habet vocabulum *מַלְאִךְ* quod significat Dominum, sed cum appositione rei alicujus, ut Amos cap. 1. v. 1. *מַלְאִךְ הַבְּרִיָּה* Dominus pecorum, & Deus dicitur *מַלְאִךְ הַמַּדְבָּר* Dominus mandii. Hic verò absolute ponitur, quia vere est absolute Dominus omnium, sicuti paulò post ipso facto ostendet.

II. XII. Sequuntur jam *secundò τὰ ὑπαχθέντα*, quæ continent ipsam tempestatis sedationem, in qua observandum 1. Christi alloquium, sive discipulorum objurgatio, ob pusillanimitatem & incredulitatem, adhibitâ exclamatione: *quid timidi estis ô exigua fide præditi?* v. 26. Hic 1. de ordine verborum Evangelistarum dubium occurrit, increpavit enim Dominus & discipulos suos, & maris tempestatem; sed incertum ex Evangelistis utra objurgatio fuerit prior, nisi quòd ex *Matthæo* magis apparet, atq; ex ipsis verbis Salvatoris, priorem fuisse discipulorum increpationem, quanquam eam *Matthæus* & *Lucas* posteriori loco ponant. *Matthæus* enim magis videtur heic ordinem observasse dum dicit v. 26. *tunc surgens Iesus, increpavit ventos & mare, & facta est tranquillitas magna.* 2. Illud, quid timidi estis, significat discipulos adhuc timore periculi præsentis correptos fuisse, 3. quia prius certè congruebat, ut tolleretur animorum turbationem, quam turbationem maris, quod fidei imperfectio obesse posset faciendo miraculo. Semper enim ferè fidem Dominus,

nus, antequam miraculum operetur, exigit, sicut videmus in ten-
 tationibus Sanctorum. Hinc Chrysof. homil. 29. antequam inquit,
 undas aquarum Christus deprimeret, nimios animorum fluctus sedavit.
 II. Hic quaeritur, cur Christus Apostolos tam graviter reprehenderit,
 cum liceat in omnibus adversitatibus & periculis ad eum accurre-
 re? Resp. Christus ipsos non reprehendit propterea 1. quod
 in periculo mortis timere esset peccatum, minimè, hoc enim est
 naturale, & homini aliàs in fide minimè titubanti, accidere potest;
 ideoq; non simpliciter dicit, *quid timidi estis*, sed dicit *τί δειλοί ἐστε ἔτι*
quid timidi estis sic? quasi dicat: Was dürft ihr so gar erschrecken?
 Quemadmodum enim Paulus etiam à Christianis non exigit, ut
 de dormientibus planè non contristentur, sed hoc requirit, ne
 contristentur sicut gentes, quæ spem non habent 1. *1. Thess. 4. v. 13.*
 ita Christus non exigit à suis, ut planè sint absq; ullo timore in-
 rebus arduis, sed ut non sic timeant, id est, quemadmodū illi qui fi-
 dē non habent. Unde & in Marco additur *cap. 4. v. 40. πῶς ἐν ἔχρῃ*
πίστῃ, quomodo non habetis fidem? & in Luca *cap. 8. v. 25. πᾶς ἐστὶν ἡ πίσ-*
τις ὑμῶν; 2. Neq; ideo quod ipsum excitassent, ipsiusq; opem
 implorassent; utrumq; enim expetit & vult *Psal. 50. v. 15.* sed pro-
 pterea objurgat 1. quod adeò modicæ essent fidei, neq; ex tot
 miraculis tantū profecissent, ut non tam anxie & muliebriter
 in periculo hoc, satis licet gravi, trepidarent; animumq; planè ab-
 jicerent. 2. quod in sua prece Domini tentant præscribere,
 quando juvare debeat, nimirum confestim, sine omni mora, id
 enim nisi fiat, de se actum esse penitus. 3. quod ex impatientia
 propemodum cum Domino exostulant, quasi incolumitatem
 discipulorum non patiatur sibi esse cordi, ita enim refert illorum
 verba *Marcus cap. 4. v. 38. Præceptor non est tibi curæ quod perimus.* Hinc
Ambrosius super Luc. arguuntur discipuli, quod præsentē Christo timebant,
cum utiq; ibi aderat, qui perire non poterat. Et Chrysof. super Matth. ar-
guendi erant, quod non decenter de Christo opinionem habebant, quod hoc
signo videtur, quod excitaverunt eum, & sic putabant quod excitatus pote-
rat mare increpare: nondum autem dormiens.

XIII. II. Prodigium ipsum: in quo occurrit 1. Actus & modus a-
 gendi seu causa instrumentalis; quæ fuit objurgatio ventorum & flu-
 ctuum *v. 26. tunc excitatus increpavit ventos & mare.* In Græco est ver-
 bum *ἐπιτιμᾶν*, quo omnes tres Evangelistæ utuntur, & respondet
 Hebræo

2.
 Prodigium
 ipsum, in
 quo duo no-
 tanda:

hebræo **רָעַף** quod significat *increpare*, multis verbis & clamore in
aliquem invehi; vel cum cōminatione & ira durius alloqui. Ita
tribuitur *Genes. 37. v. 10. Iacobo*, qui objurgavit filium *Iosepham*, ob
narrata somnia, Item *Rhut 2. v. 16. Christo* Dæmones objurgantē
Math. 17. v. 18. Luc. 4. v. 35. & v. 41. cap. 9. v. 42. Et licet proprie crea-
turas sensibiles & rationales increpamus, ut ex allatis exemplis
videre est; tamen Christus eadem vocula hic vastum ac furiosum
mare increpare voluit, non quod sensibile esset, ut quidā hæretico-
rū crediderunt; sed 1. ad ostendendū vocē suā etiam esse efficacem
in has creaturas; easq; se suæ voluntati & imperio habere subje-
ctas, quod solius est Dei creatoris. Unde hujus vocis frequens quo-
que est usus in sacris, cum de Dei in impetuolum mare imperio a-
gitur, ut *Psal. 103. v. 7. Psal. 105. v. 9. Nabum. 1. v. 4.* Hinc Hieron. *super*
h. l. Et ex hoc loco, ait, intelligimus, quod omnes creaturæ sentiant Creatorē:
Quas enim increpavit, & quibus imperavit sentiunt imperantem, non errore
hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate conditoris, que
apud nos sunt insensibilia, illi sunt sensibilia. Sentire autē creatorem has crea-
turas dicit, quod vox ejus in eas esset efficax. 2. Christus quoq; teste *Mal-*
donato super h. l. loquitur ventis, tempestati, aliisq; rebus similibus
perinde ac si malis spiritibus loqueretur, ideo, quia tempestates sæ-
pe per malos spiritus immittuntur, sicut Sathan immisit ventum
validū à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, ubi
filii filiarq; *Tobi* cōvivabantur, ita ut eos domus obruerent *Iob. 1. v. 19.*

2.
Effectus.

XIV. 2. Effectus, qui indicatur his verbis *v. 26. καὶ ἐγένετο γαλήνη*
μεγάλη, & facta est tranquillitas magna. γαλήνη significat non tantum
tranquillitatē, sed & serenitatē & derivatur *μεγὰ τὸ γαλᾶν* à ridendo te-
ste *Henrico Stephano*, quod sc. aër cum tranquillus & serenus est, qua-
si vultu sereno rideat. Et talis serenitas etiā hic facta est, ut non tan-
tū ventus cessaverit, mare sævū quieverit; sed etiā serenitas maxi-
ma oborta sit, ita ut ne vestigiū quidē turbationis remanserit, cum
alias naturale sit, ut fluctibus cessantibus, per aliquantū temporis
spaciū, aquæ concutiantur. Idq; factū 1. ut hæc magna tranquillitas
nō naturæ sed miraculo adscriberetur. Vnde *Chrys. sup. h. l.* dicit: *tria*
sunt simul cum facta miracula 1. quod ad Christi verbū magnus ventus om-
nino siluit, 2. quod mari tempestas confestim soluta extitit, 3. quod mare a-
deo quietatum subito fuit, quod nullū vestigiū turbationū remansit. 11. ut
gaudium & consolatio discipulorum tanto esset major & impen-
sior. Nam pro modo afflictionis, solet esse & consolationis modus.
Sic *Tobias* post cœcitatē recuperat visum, videtq; filios filiorū, &

ut ait Scriptura, reliquū vitæ suæ in gaudio fuit Tob. 14. v. 1. & seqq. Ita Iobus post plagas suas accepit omnia duplicia, & post illas vixit annis 140. & vidit filios filiorum Iobi c. ult. Sic Ioseph post exilium & carceres; sic David post longam Saulis persecutionē; sic Iacob post longū de Iosepho perditio mœrorem, tranquillitatem maximam invenerunt Gen. 45. Et hoc est quod David dixit Psal. 93 secundum multitudinē dolorū meorum consolationes tuæ latificarunt animam meam &c.

XV. Tertiò & ultimò cōsideranda veniunt τὰ ἐπιβουλεύματα consequentia hujus miraculi; quorū tria subjiciuntur: 1. Est timor magnus, secundum Marcū c. 4. v. 41. & Lucā c. 8. v. 25. qui timor non fuit servilis & hypocritice malitiæ, qui ab alienatione & odio nō caret; sed timor pudoris & reverentiæ, ortus, 1. Ex recordatione verborū Christi, quibus discipulos pusillanimitatis redarguerat. Nā memoriā repetunt quid antehac ex Christo audierāt in cōcione, in monte Matth 6. v. 30. ubi βαρυπίσυς & exigua fide præditos parū differre à gentibus dixerat. Agnoscunt ergo se hac sua pusillanimitate non parū deviasse à statu & conditione suæ vocationis. 2. Ex consideratione suæ infirmitatis, & cōtra Magistri sui majestatis; qua agnoscunt se indignos esse ipsius conversatione; atq; sibi metuunt, ne amplius eum offendant, ne ipsis rejectis, Christus alios sibi surroget, cum ipsi adeò parū proficiant.

XVI. II. Admiratio v. 27. homines mirati sunt. Hic dubiū oboritur quos nā Matthæus heic appellitet homines, qui admirati sunt, solosne discipulos; an reliquā quoq; turbā, quæ etiam aderat in aliis navibus? Beda, Chrysostr. Hilarius, Origenes, Druthmarus, Maldonatus, & alii putant, non discipulos, sed nautas, & alios, qui navi vehebantur, admiratos fuisse. Non putes, inquit Origenes, hic per homines Apostolos significatos: nusquam enim invenimus, præter honorē cognominari Domini discipulos: sed semper aut Apostoli, aut discipuli nominantur. Præterea quia discipulus satis notus erat Christus; ejusq; in perpetrandis miraculis potentia, ideoq; excitavit eum, ut tempestatem compesceret. Ergo non est verosimile, hoc miraculum discipulos in admirationem & timorem extulisse. Sed rectius alii statuunt, inter quos sunt, Dionysius Carthusianus, Cajetanus & Chemnitius in Harm. Evang. tam discipulos quā alios homines miratos hæc verba protulisse, qualis est hic? Id quod etiam cōstat ex Marco & Luca. Nam postquā dixisset Lucas, Dominum discipulis dixisse, ubi est fides vestra? subjicit, qui timentes mirati sunt, ad invicem dicentes &c. Matthæus ergo nomine hominum discipulos quoq; complexus est. Ad allatā rationem

3.
τὰ ἐπιβουλεύματα τρία.
I.
Timoris incussio.

2.
Admiratio



rationem Origenis 1. Resp. Cajetanus: Discipuli modicæ fidei homi-
 nes appellantur, non solum naturâ, sed defectu divinæ fidei. Ad 2. Respond.
 1. non omnem admirationem provenire ex ignorantia; sed sapif-
 simè ex rerum majestate, & effectus inspectione. Unde Chrystos-
 mus: admirantur hominem dormientem, Deum imperantem, & creaturam
 obædientem. Et Ambros. admirantur innatæ potestatis abundantiam, &
 divinitatis gloriam, quamvis similis nobis esset, & visibilis secundum carnem.
 2. Non satis quoq; discipulis Christi potentiam notam fuisse inde
 arguitur; quod vigilantem Christum posse tempestate resistere
 non diffidebant, dormientem verò minimè. Hinc Theophylactus
 super Marcum: dicebant, inquit, inter se discipuli quisnam est hic? adhuc
 enim de eo dubitabant.

3.
 Christi
 prædicatio
 & commen-
 datio.

XVII. III. Prædicatio & commendatio Christi, adhibitâ excla-
 matione & prosopopœia: qualis est hic, quia venti & mare obædiunt
 ei? v. 27. Græcus textus habet *ὅτι καὶ πάλιν ἐστὶν ἔτι* quis,
 qualis, & quantus hic vir est. Nam *πάλιν*, ut annotant Græci lin-
 guæ gnari, accipitur *ἔτι* ἑστὶν & est aliquando significantius,
 quàm si diceretur *πάλιν*, perinde enim est ac si non simpliciter in-
 terrogaretur, qualis quis esset, sed simul etiam ex quali regione ortus.
 Deinde dictione *πάλιν*, simpliciter interrogamus: sed *πάλιν*
 admirationis habet *ἐπιφάνει* dicit Erasmus super h. l. quasi dixissent,
 alius sit oportet, quàm nos eum adhuc noverimus, quia venti,
ὅτι καὶ οἱ ἀνεμοὶ quia & venti, quod etiam venti (additur enim hic ut
 & apud Marcum & Lucam græcè conjunctio, quæ & connectit &
 auget) non tantùm morbi quicunq; & Dæmones, verùm etiam
 & venti & mare, quæ nulli obedire solent, quorum vim nemo
 cohibere potest, obediunt ei. Insensibilium creaturarum non est
 obedientia propriè sic dicta, sed obedire iccirco dicuntur, quia pro
 arbitrio creatoris, ita mox agunt, operantur, mutantur, ac si sen-
 sibiles & rationales essent creaturæ, id quod facit efficacitas vo-
 luntatis ipsius, qua temulenti maris furorem, & furibundos flu-
 ctus in arenæ carcerem includere, illasq; elatissimas undas arenæ
 compedibus alligare potest, ut statim decidant, & sævire desinant.
 Meritò itaq; hunc *ἀνεμοκότην* Ventisopium, & terræ marisq; Dominum
 dignis laudibus & præconiis veneramus & extollimus. Cum Psal-
 mista Regio dicentes Psal. 72. v. 18. *Benedictus Dominus Deus, Deus Is-*
ραël.

rael, qui facit mirabilia solus: & benedictum nomen majestatis ejus in eternum; & repleatur majestate ejus omnis terra.

XIIX, Antequam jam ad ipsas quæstiones progredimur, allegorias quasdam venustas, quas pia antiquitas, & antiqua pietas, de hac navicula, variis fluctibus atq; procellis agitata, piè meditata est, hic adponere lubet. I. Constituunt hanc naviculam typum sive imaginem Ecclesiæ militantis in hoc mundo, tanquam in turbulento mari, inter fluctus & ventos. Partes hujus comparationis Iohannes Monradus in Thesauro suo concionatorio super hanc Dominic. elegantissimis hisce versiculis exprimit:

Mundus hic est pelagus Cymba est Ecclesia, Christi

Discipuli Comites, Dux rati Immanuel.

Hæresis est turbo, fluctus violenta tyrannis,

Sermo Dei clavus, remus & arma preces.

Cruce antenna, fides velum, promissio malus,

Ancora spes, Haustrum sacra Synaxis habet.

Est pietas temo, constantia transtra, camelus

Mens patiens, Codex nautica carta sacer,

Pneuma Dei ventus, rostrumq; potentia, portus,

Est pia mors, statio mansio sancta Dei.

Navarchum sequitur, quicumq; fidelis Iesum

Ille Abrahamæ in gremio gaudia tutus habet.

Naufragium est fidei interitus, jactura malignus

Perpetua est obitus; belua marina Sathan.

Crimina sunt scopuli, caro Scylla, libido Charybdis,

Navigat infelix hæc nisi vincat homo.

II. Pernaviculam quidam mysticè intelligunt crucem, in qua Saluator moriendo obdormivit; quam cum ipso ascenderunt discipuli, postmodum tollentes crucem suam quotidie. Quo pendente in cruce facta est magna in mundo tempestas, quia à sexta hora usq; ad nonam tenebræ factæ sunt, terra mota, Apostoli quoq; turbati fuerunt, suscitaveruntq; Christum, ejus resurrectionem optando, quo resurgente, facta est magna tranquillitas in cælo, terra, & discipulorū cordibus. III. Comparatur etiam hæc navicula animæ humanæ, quæ, quamprimum cum corpore conjungitur, vastum quasi mare ingreditur, in hac navi adest Christus sua gratiâ, quam interdum invadunt fluctus cupiditatum, & voluptatum.

C

tum.

tum mundanarum. Unde *August. serm. 3. in Matth. dicit, unicuique sua cupiditas, tempestas est.* Hæc verò precibus est propellenda. IV. Nonnulli hanc naviculam hominis pœnitentiæ & conversioni accommodant, In hanc enim ubi primùm homo ingreditur, pœnitentiãq; agit; statim etiam vanitatis & miseriarũ aura simul introire solet. V. Tota deniq; vita humana huic navigationi haut incongruè comparatur, & quidem 1. *Ratione inquietudinis.* Navigantes nunquam quiescunt, sed semper impulsu navis ducuntur, donec ad portum perveniant: Ita nos nolentes volentes per singula momenta temporum quotidie ad portum, id est, ad finem vitæ nostræ properamus; rapiuntur enim dies nostri fluminũ more *Psal. 90. v. 6. Iob. 14. v. 11.* 2. *Ratione fortunæ instabilitatis,* cui navigantes sunt obnoxii. Nemo igitur se eadem semper aurã navigaturum speret, *ludit enim de suis inquit Seneca, muneribus fortuna, quæ dedit aufert, & quæ abstulit, reddit, Fortuna quos beneficiũ ornat, ad duriores casus reservat.* 3. *Ratione periculorum & laborum multitudinis* quibus hæc vita nostra post lapsum exposita est. Hæ piæ sunt meditationes veterum, de quibus tamen regula illa generalis tenenda; quod *allegoriis, cum tantum sint sicut colores in pariete domus, sobriè, parciè, & non primario sed secundo sit utendum.* Jam ad quæstiones.

QVÆSTIONES CONTROVERSÆ

ex ipsis textus visceribus desunt.

Quæst. I. *Cur Sabbathum Iudaicum sit abrogatum; & in ejus locum primus septimane dies, publici cultus divini exercitio destinatus?* In explicatione textus *Thesi 5.* assertum fuit, prima die septimane, qui nobis est dies Dominicus, hoc miraculum accidisse, unde non abs re inquisitio hic quæritur, quid de hoc die statuendũ; & cur in locum Sabbathi Iudaici in N. T. sacris sit destinatus? Ubi, quo ad prius quæstionis membrum observandum: quod lex de Sabbatho partim sit *moralis*, quoad genus, h. e. publici ministerii conservationem; partim *Ceremonialis*, quatenus scil. ritum septimi diei præcipit, qui unã cum ceteris Ceremoniis Mosaicis abrogatus, & in locum ejus prima dies hebdomadæ substituta est, quia 1. Sabbathum septimi diei in V. Test. erat signum sanctificationis Ecclesiæ per Messiam venturum *Exod. 31. v. 13. Ezech. 20. v. 20.* 2. Erat figura mortificationis

tionis, ut quiescamus à propriis operibus *Hebr. 4. v. 4. 3.* Erat ty-
pus Sabbathi spiritualis, & æterni. 4. Erat pædagogia populo Is-
raelitico beneficia creationis in memoriam revocans *Exod. 20. v. 8.*
Quo sensu in N. T. umbra futurorum dicitur *Coloss. 2. v. 17.* Atqui
signa, typi, figuræ, umbræ & pædagogicæ adventante Christo cessa-
runt *Galat. 4. v. 4. Coloss. 2. v. 17.* & abrogatæ sunt. Ergo quoq; illa
circumstantia de septima die jam abrogata est, ita ut judicemus
omnem diem *Rom. 14. v. 5.* Deinde quamvis Apostoli initio qui-
dem in primitiva Ecclesia, ex libera observatione legale, illud die-
rum discrimen aliquantisper retinuerint, & sæpè in Sabbatho con-
ventus suos egerint, & docuerint: postea tamen cum Judæi *Gal. 2.*
v. 4. urgerent necessitatem & statuerent, non debere nec posse alio
die fieri sanctificationem tertii præcepti, quam die Sabbathi; ita
ut qui eum non observarent, peccarent ad mortem: Apostoli &
Christiani conventus suos in alium diem, primum videl. septima-
næ transtulerunt, 1. ut se à Judæis segregarent & discrimen inter
Christianos & Judæos, qui etiamnum antiquas legis Ceremonias
observant, statuerent. 2. ut non tantum voce sed & facto liberta-
tem Christianam ostenderent *Coloss. 2. v. 16, Gal. 4. v. 10.* 3. ut me-
moria resurrectionis Dominicæ illo die factæ recoleretur, unde
hæc dies Dominica ab ipsis Apostolis appellata scribitur *Apocal. 1.*
v. 10. Qua de re August. serm. 251. de tempore scribit: *Dominicum*
diem Apostoli, & Apostolici viri ideo religiosâ sanctitate habendum sanxe-
runt, quia in eadem Redemptor à mortuis resurrexit. Hinc postea 4. hic dies
publicis edictis Imperialibus, ut *Constantini, Adriani, Theodosii* fuit
confirmatus. Videatur *Eusebius l. 4. de vita Constantini cap. 18.*

Quæst. II. *An Christus veram humanam naturam nostræ ὁμοίωσιν as-*
sumserit? Duas in Christo esse naturas divinam videl. & humanam
pic & orthodoxè creditur & affirmatur. Utraq; verò ab hostibus
divinæ veritatis, quovis tempore immanissimo planè & nefario
ausu, variis modis, & dolis, fuit oppugnata. Nam ut de humana
ejus natura saltè in præsentia aliquid dicamus, illam olim 1. ex
parte negarunt *Apollinaristæ, Iacobitæ, Theopaschitæ* qui Filium Dei
corpus quidem vivens, non verò animam rationalè & intelligen-
somniarunt, sed divinitatem ipsi loco animæ rationalis fuisse
tion, & alii qui contenderunt, Christū non assumisse verā humanā
natu-

naturam, seu carnem consubstantialiẽ Mariæ & nobis: sed è cœ-
lo secum detulisse corpus siderium cœleste & elementare. Quas
blasphemias nonnulli *Anabaptistæ* & *Fanatici*, nostra ætate postlimi-
niò revocare allaborant. *Saturninus* & *Manes* cum suis somniarunt,
Christum non habuisse verum corpus, sed imaginarium: quod
videretur habere carnẽ & ossa, sed revera non haberet. Ut cum
angeli apparent in specie hominum. Imò insaniebant ipsam incar-
nationem, & omnes actiones ac passiones Christi conversantis
inter homines: καὶ δὲ δόκησιν καὶ φαντασίαν ita apparuisse, in rei
aut. veritate nihil horum fuisse. Hisce vero somniis & blasphe-
miis ἀντιφασίως 1. ex textu nostro opponitur, quod Christus in navi dor-
misse scribitur, v. 24. & reliqui affectus ac passiones quibus fuit
obnoxius ut quod esuriverit *Matth.* 4. v. 2. sitiverit *Ioh.* 19. v. 28. defa-
tigatus sit *Iohan.* 4. v. 6. fleverit *Luc.* 19. v. 41. *Iohan.* 11. v. 35. aliasq;
infirmities, quæ modò respectum culpæ non habebant; quasq; ab ipso af-
sumi generi humano expediebat; & dignitati naturæ suæ non derogabat, ut
Lombardus loquitur l. 3. dist. 15. lit. A receperit. Deinde veritas hu-
manæ naturæ hoc syllogismo evidenter demonstratur: Cuicumq;
verè & propriè tribuitur 1. Nomen sive appellatio hominis, 2. De-
finitio, 3. Essentiales partes, anima rationalis & corpus, 4. Ope-
rationes, 5. Effecta. Is est vere homo Atqui Christo illa omnia ve-
re & propriè tribuuntur in Scripturis. Ergo Christus est verus ho-
mo. Assumptionis membra ordine & prolixè probata vide *Disput.*
2. Tom. 1. *disput.* *Giessens.* th. 25. III. Si *Valentinianorum* phantæ-
siæ veræ 1. Nos putativè saltem essemus redempti, justificati, 2. nos
putativa quoq; & phantastica aliquando recepturi essemus corpo-
ra. 3. simulata esset illa Christi compassio & dulcissima consolatio
Hebr. 2. v. 17. & 4. 15. 4. Imò vana & irrita omnis prædicatio,
& fides nostra 1. *Cor.* 15. v. 14. IV. Christus ipse hunc errorem
refutavit, cum opinarentur discipuli, se videre spectrum *Matth.* 14.
v. 26. *Marc.* 6. v. 50. *Luc.* 24. v. 39. *Iohan.* 6. v. 20. Animam quoq; Chri-
stum verè assumisse 1. apertissima Scripturæ dicta testantur 1. in
genere, quæ Christum humanam naturam integram assumisse
probant. Ut quando vocatur homo *Iohan.* 8. v. 40. 1. *Cor.* 15. v. 46.
Philip. 2. v. 7. 1. *Tim.* 2. v. 5. 2. in specie, quæ de anima Christi lo-
quuntur, ut *Iohan.* 10. v. 15. *Matth.* 26. v. 38. *Luc.* 23. v. 46. II. Ipsa
salutis nostræ ratio hoc quoq; evincit. Certum enim est, filium
Dei

Dei propterea assumpsisse nostram naturam, ut illam corruptam & depravatam restitueret & sanaret, Nec partem tantum aliquam nostræ naturæ, sed totam & integram voluit sanare. Ergo integram etiam assumpsit, id est corpus & animam, Rationalis enim anima labe originis magis infecta est quam corpus, quomodo ergo quæ præcipuè erat sananda, non esset assumpta, *ἢ γὰρ ἀπέστ- ληπτον ἀθεράπευτον*, Quod inassumptum est, etiam incuratum est, inquit Nazianzenus Epist. 2. ad Cledonium. Et Augustinus dicit, pro illo non esse Christum mortuum, qui Christum verum hominem negat, quia est mortuus secundum hominem. Et Leo: non posse quenquam eo capite gloriari, in quo asserat naturam suam non haberi, juxta versus:

Nemo suum verè fratrem quit dicere Christum,

Hunc ipsum verè qui negat esse hominem.

Quæst. III. An navicula Christi, cujus in presenti textu fit mentio sit vera imago Ecclesiæ Pontificiæ? Pontificii, ut Costerus in hanc Domin. Iansenius in Harm. Evangel. cap. 30. p. 198. & alii quidem videri volunt ac si hac imagine Ecclesiæ delectarentur, iccirco non tantum elegantissimis verbis; verum etiam splendidis picturis hanc naviculam exornare solent. Minimè verò hanc applicationem posse subsistere ex trib. hujus naviculæ proprietatibus, quas ad suam Ecclesiã applicare nequeunt, aliis, hac vice, prætermisis, arguere licet. I. Hęc navicula nullo certo loco est alligata, sed jam hinc, jam illic suã stationem habet; Pontificii verò Ecclesiã urbi suæ Romanæ ita præcisè alligant, ut qui hanc non Catholicam agnoscant, simpliciter pro hæreticis ab ipsis habeantur. Non aliter quam sicut olim Judæi Jer. 7. v. 4. Ecclesiam alligarant ad suum templum. II. Hęc navicula Christi nobis ita ob oculos ponitur, quod ventorum & fluctuum motibus variè infestetur, & procellosis turbinibus ferè obruatur: Romanenses sibi gratulantur tranquillum Ecclesiæ statum, quod apud ipsos sit Catholicus consensus, nullæ hæreses, nulla schismata, nullæ contentiones, sed omnes unanimiter in Papam conspirent. III. In hac navicula Christus solus est Naclerus, quem tamen ipsi ab Ecclesia sua removent, & alium, Pontificem scilicet Romanum, substituunt. Frustra itaq; hac imagine delectantur.

Quæst. IV. An Petrus hujus naviculæ, id est, Ecclesiæ summus Navarchus, & caput à Christo sit constitutus? Ut fictitium primatum, & absolutum dominium Pontificis sui, super Ecclesiam Christi Romanenses probent, dicunt, vel potius mentiuntur, ipsum hanc potestatem

statem per successionem ab Apostolo Petro accepisse, qui totius Ec-
 clesie caput, & princeps loco Christi ab ipso Christo sit constitutus.
 Quod haut obscure colligere licet ex verbis Philippi Diez Lusitani
 Tom. 3. Conc. Dominical. super hoc Evang. In hoc mari, inquit, una tan-
 tum navis incedit: quæ ad salutis portum perducit, hæc autem est Ecclesia san-
 cta Catholica. Hanc navim divinus mercator Iesus Christus in nocte sue san-
 ctissimæ passionis dicens nautæ, qui est B. Petrus, Ego autem rogavi pro te, ut
 non deficiat fides tua Luc. 22. & tu aliquando conversus confirma fratres
 tuos, h. e. ne timeas o Petre, ne navis tua demergatur, maximis quippe, atq[ue]
 tumentibus hereticorum fluctibus quatietur, variisq[ue] ventorum ictibus op-
 pugnabitur: non tamen submergetur. Idem, & quidem manifestius, li-
 quet ex Bellarmino l. 1. de Pontif. Romano c. 10. Costero & aliis. Contra
 omnem verò institutionem & voluntatem tam Christi, quam Pe-
 tri, huiusmodi Dominium & Primatum Apostolo Petro à Papico-
 lis [adscribi] seqq. fundamentis manifestissimè demonstratur.
 I. Quia Christus Apostolis & pastoribus Ecclesie omnem Primatum & Domi-
 natum prohibuit Luc. 22. v. 25. 26. Reges gentium dominantur ^{super} & in
 & electio ad Apostolatū Matth. 10. v. 1. cap. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15.
 16. Luc. 9. v. 1. Ioh. 20. v. 21. 2. Cor. 5. v. 21. 2. una & pariter claves li-
 gandi & solvendi acceperunt Matth. 18. v. 18. Ioh. 20. v. 23. 3. Eadem vo-
 cationis privilegia iisdem data sunt Matth. 10. v. 8. Marc. 16. v. 17. 18. 4.
 omnibus cura & pastura fidelium pariter erat demandata. 2. Cor. 11. v. 28.
 Idèq[ue] 5. omnes pariter dicuntur fundamentum Ecclesie Ephes. 2. v. 20.
 Apoc. 21. v. 14. Fuerunt itaq[ue] cæteri Apostoli, quod fuit Petrus pari confor-
 titio præditi, & honoris & potestatis, inquit Cyprianus. III. Quia nullibi in
 scripturis legitur, Petrum sibi hanc ^{potestatem} arrogasse vel
 usurpasse. IV. Quia Christus solus Ecclesie sue Monarcha caput & funda-
 mentum est Ezech. 34. v. 22. & cap. 37. v. 24. & 26. 1. Cor. 3. v. 11. 1.
 Cor. 10. v. 4. Ephes. 1. v. 22. cap. 2. v. 21. cap. 5. v. 23. Coloss. 1. v. 18. c. 2. v. 19.
 V. Quia Christus omnis generis ministros dando nullum constituit Episcopum
 Oecumenicum, ut videre est ex Epistola Pauli Ephes. 4. v. 11. & 12. ubi
 rotum ministerium N. T. & omnes ejus gradus, & omniū graduum
 appellationes recensentur. Et VI. posito, nullo verò modo conces-
 so, Petrum Monarcham Reipubl. Christiane fuisse constitutum, quid verò
 hoc ad Pontificem Romanum, qui cum Petro nil nisi abnegationē Chri-
 sti cōmune habet? & cujus tum doctrina, tum vita à doctrina & vi-
 ta Petri ^{dis diè} discrepat. Sicut hoc ipsum fufius à nostratibus
 Theolo-

Theologis, institutâ ἀντιπαράδεδετ Petri & Papæ, tū quoad doctrinā, tū quoad vitā eorū, fuit ostensum. Mera proinde figmenta sunt & rationis somnia, quæ Papicolæ de Primatu Petri, de universali Pontificatu, de Ecclesiæ Exarchatu magnifice & thraſonice jactitant. Nec alicuj⁹ sunt momenti argumenta, quæ in cōtrariū adferuntur. Palmarium est illud Matth. 16. v. 18. Tu es Petrus, & super banc petram edificabo Ecclesiam meam. Ad quod cum toties à nostratibus sufficiētissimè sit responsū; Primatū Papæ explodentis, ad alia p̄gredimur.

Quæst. V. An in Ecclesia Pontificia perpetuus sit consensus? Negat hoc ipsemet Philippus Diez Lusitanus Pontificius, Tom. 3. Conc. Dominic. super hoc Evangelii p. 804. his verbis: Quid a. dicemus de contradictionib. quæ in ipsa sanctæ Eccles. navi versantur; siquidē exteriores tempestates illam jam acriter impugnant; ipsi tamen qui intus sunt inter se sæpè numero dissident. O sancta Ecclesia non solum ab hæreticis te oppugnari video, sed intra te tantam contradictionem, tot contentiones, lites, atq; similtates esse perspicio, ut dictu quantò magis visu, sit miserabile. Adjungit quoq; eò loci adhortationē ad suos fratres dicens: Fratres in Christo Iesu per reverentiā hujus altissimi Domini, ante singulorū pedes consternatus, vos rogo, ut ad sanctæ Ecclesiæ necessitatē respiciatis, neq; eam dissensionibus vestris conturbetis: sed ad invicem omnibus possibilibus rationibus vos adjuvare curetū. Et alia plura addit, quibus suos socios & complices ad concordiam flectere studet. Ex quibus apparet falsam, vanam & fictam esse Papicolarū, de summa veraq; consensione jactantiam. Qamvis enim ob Concatenatam Clericorum, ordinumq; omniū seriem à Papa Romano, tanquam Deastro quodā terrestri, dependentem; quædā externa consensio & Concordia in regno pontificio reperiat; veram tamen illā internā, Catholicam & Christianam illi competere negamus. Hujus verò, falsò ita dictæ, Concordiæ Romanæ species Matth. Flacius Illyricus in tract. de dissensionibus Pontificiorum septem recenset, quarum 1. Est Sathanica, 2. Politica, 3. beluina seu pecuina, 4. Iscariotica, 5. Tyranniarum & servilis, 6. Herodiana, 7. Extrinseca & accidentalis, in Ceremoniis pluribus vide Flacium d. l. Dn. Doct. Præsid. in loco de Ecclesia, qui propediem in lucem prodibit. Et Dn. Doct. Meisnerum in Consultat. Catholica contra Lesium pag. 276. & seqq. Ipsos verò fidei articulos si spectemus, me Christe! quanta ibi dissensionum, contentionū & disceptationum abyssus sese pandit, ut rectissimè ob id scripserit B. Lutherus in lib. contra Regem Angliæ Tom. 2. Latino, fol. 513. sub Papatu esse

esse quidem Pompam externam unitatis, sed intra non nisi confusis. Babylon.
Hæc dissensiones Pontificias idem Flacius in libro antea citato dispe-
scit in Generales & Speciales: Generales nominat eas, quæ concernunt
ipsum corpus doctrinæ Papisticæ, quod variè fuit immutatum, nec
æqualè semper faciem retinuit. Tales diversas & variantes Pontifi-
ciæ Theologiæ formas numerat quinque, 1. Est Theologia Lombardica,
quæ in multis capitibus purior fuit, quàm hodierna Papistica. 2. Scho-
lastica vel Thomistica. 3. Monastica. 4. Interimistica. 5. Theologia Jesui-
tarum. Speciales Pontificiorum & Jesuitarum dissensiones, & alterca-
tiones quod attinet, multæ illarum numerantur, quæ à Dn. Doct. Præ-
sidente in loco de Ecclesia ad duo capita referuntur, ita ut quædam concer-
nant ipsum religionis principiū, quod est verbū Dei, in Canonicis V.
& N. Test. libris propositū, in quo quam miris modis dissentiant.
ibidem à Dn. Doct. Præsidente satis eruditè & solidè fuit ostensum. Que-
dam articulos fidei reliquos, ex isto principio deductos concernant, ut
articulum de persona Christi, de Electione, de Imagine Dei, de
peccato originis, de libero arbitrio, de Justificatione, de Cœna Do-
mini, & in illa de Transubstantiatione, cōmunionem sub utraq; spe-
cie & consecratione. In quibus omnibus quot & quantæ contra-
rietates & dissensiones occurrant. Vide apud Flacium & Dn. Doct. Præ-
sidentem locis citatis. Ex his ergo colligere est, nullam veram Christia-
nā & Apostolicam fidei unitatem in Papatu vigere; sed tantum
fictam, apparentem, coactam, innumeris quæ dissensionibus & litigiis
permixtā, quæ non immeritò comparari potest pomis in lacu As-
phaltide crescentibus, quæ exterius videntur pulchra, sed interius nil
sunt nisi cineres & favillæ; ita & foris pulchrè consentire videntur
Papicolæ, qui tamen intus in quamplurimis dissentiant.

Quæst. VI. An felicitas temporalis sit infallibilis veræ Ecclesiæ nota? Ita
statuunt Pontificii, in primis Robertus ille Bellarminus, Pandora omnis
Antichristiani mali l. 4. de Eccles. c. 6. At nota hæc refutatur 1. Ex tota
hac historia Evangelica. Est enim Ecclesia instar navis, quæ tempesta-
tibus convellitur, procellis & tentationum fluctibus, hinc inde agi-
tatur. 2. aliis manifestis Scripturæ dictis. Iob. 16. v. 20. & v. 33. Act. 14.
v. 22. 2. Tim 3. v. 12. Apoc. 12. v. 13. 3. quamplurimis exemplis. Audiantur
querelæ Ecclesiæ Israeliticæ Psal. 129. v. 1. sæpè afflixerunt me à juven-
tute mea, dicat nunc Israël, sæpè afflixerunt me à juventute mea &c. Cogi-
tentur exilia Patriarcharum, servitus Israelitarum in Aegypto;
commoratio per 40. annos in deserto, abductio in captivitatem
Babylon-

Babylonica : Considerentur gravissima Christianorum persecutio-
nes, primis tribus post Christum natum seculis, sub Imperatoribus Romae
perpeffa, memoria repetantur lanienae Parisienses, inquisitiones
Hispanicae, legantur historiae Ducis Albani in Belgio : aspiciantur
ardentes piorum rogi, & vivus habeatur commentarius vaticinii
*Apocalyptici c. 17. v. 16. Vidi mulierem ebriam ex sanguine Sancto-
rum, & ex sanguine Martyrum Jesu.* Et haec omnia potius sum-
mam infelicitatem, quam felicitatem Ecclesiae evincunt. 4. *Christo
capite.* Cum enim Ecclesia sit corpus Christi mysticum, eam huic
capiti suo oportet per tribulationes & persecutiones conformari
Rom. 8. v. 29. Matth. 10. v. 24. Luc. 6. v. 40. Joh. 13. v. 16. c. 15. v. 20.
5. *Similitudinibus,* puta quod Ecclesia comparatur columbae habi-
tanti in rupibus *Cantic. 2. v. 14.* navi jactatae fluctibus; domui aedi-
ficatae in petra, in quam imbres vehementes impetuosè irruunt.
6. *quod eodem argumento à felicitate temporali ducto Ecclesia Mali-
gnantium, Epicuræorum, Ethnîcorum, Turcarum possit propugnari.*
7. *quia Patres à felicitate temporali ad Ecclesiae veritatem argumen-
tum duci posse negant.* Audiamus ex multis, cartæ & temporis lu-
crandi causâ, tantum unum *Chrysostrum homil. 25. in 1. Corinth.*
ita loquentem: *Cruce & persecutiones sunt characteres Evangelii.* Et
super dictum *Gen. 3. Inimicitias ponam &c.* idem scribit, *Ecclesiam
in confessoribus vicisse, in Martyribus triumphatricem extitisse.*

Quæst. VII. *An personæ Ecclesiasticae magistratui politico, seu pote-
stati seculari debeant esse subiectæ?* Philippus Diez Lusitanus Tom. 3.
Concion. Domin. super hoc Evangel. p. 789. hujus quæstionis simpli-
cem negativam ex præsentis Evangelii textu ita comprobare anni-
titur: *Cum Christus prævideret, inquit, se esse reprehensurum Apo-
stolos suos, eos solos secum in navim sumsit, ad docendum nos, quod
peccata Sacerdotum & superiorum Ecclesiasticorum non sint coram
mundo castiganda, sicut semper increduli hæretici facere solent. Ad-
ducit quoque & magnoperè eò loci extollit & commendat exem-
plum Constantini Magni Caesaris; quod legitur in hist. Ecclesiast. Ruf-
ini l. 1. c. 2.* Cum illi ante primum Concilium Nicæ habitum mul-
tæ cartæ plenæ accusationum adversus nonnullos Episcopos & per-
sonas Ecclesiasticas traderentur, ille omnes cartas combussit, &
dixit: *Episcopi sunt nostri judices, neq; à nobis judicari debent;
nec ego etiam vitia personarum Ecclesiasticarum divulgabo; imò
si ex*

si ex illis quempiam viderem peccare cum inhonesta muliere, eum
 certè pallio meo contegerem. Idem propugnat Bellarminus lib.
de Clericis cap. 28. ubi inter alia in hæc verba prorumpit: *et si Cle-*
rici teneantur leges civiles servare, non tamen possunt à giudice
politico puniri; vel ullo modo trahi ad secularis Magistratus tri-
bunal; Adfert rationem; eò quòd absurdum sit, ut ovis Pastorem
judicet quocunque modo. Hisce Papa Bonifacius & Canonista alias
 ratiunculas rancidas adtexunt, ut 1. *Dictum 1. Corinth. 2. vers.*
15. spiritualis dijudicat omnia, ipse verò dijudicatur à nemine.
 Deinde objiciunt immunitates & privilegia, quibus ab Impera-
 toribus sint donati; & tum à tributorum exactionibus: tum à
 judiciis, si quâ in re deliquerint, exempti. Verùm enim verò,
 quamvis in hac quæstione ritè decidenda, primò omnium di-
 stinguendum censeamus 1. inter personas & officium Ministrorum
 verbi. 2. Magistratum supremum & inferiorem. 3. *Causas crimi-*
nales, & alias civiles; & quod illo, non hoc respectu personæ
 Ecclesiasticæ publicis Imperii judiciis sint subjectæ: tamen cum
 ab Adversariis simpliciter negativa statuatur, illis hæc funda-
 menta opponimus. I. *quia Clerici non domini sed subditi sunt.*
 Ergo officium subditorum detrectare neque possunt, neque de-
 bent. II. *quia omnis anima potestatibus supereminentibus de-*
bet esse subdita Rom. 13. vers. 1. III. *quia Christus ipse subjectio-*
nem & obedientiam præstitit Magistratui, idq; 1. propter divi-
nam ordinationem: Johan. 19. vers. 11. 2. Scandali declinationem,
Matth. 17. vers. 27. quæ causæ universales sunt, & omnes omni-
 nò homines attinent. IV. *quia Paulus à Consistorio Hierosolymi-*
tano ad Cesaris tribunal provocavit, tanquam judicis competen-
tis, & coram illo causam suam judicari oportere dixit Act. 5. v. 11.
 V. *quia Magistratus sunt Dei ministri, & gladium Dei nomine ge-*
 rant. Ergo suâ autoritate neminem ab obedientia prorsus eximere
 possunt.

Falsa itaq; & frivola est I. *Lusitani opinio, quam adfert de di-*
scipulis Christi, quos ideò solos secum in navim recepisse scribit, ut
doceret peccata Sacerdotum coram mundo sive Magistratu poli-
tico non esse puniendâ. Præterquam n. quod aliæ hujus navigatio-
nis causæ, in explicatione textus thesi 8. sint adductæ, Christus non
solus cum discipulis mare trajecit, sed aliæ quoq; naves plebeis
 homi-

hominibus repletæ cum ipso fuerunt, qui omnia dicta & facta
Christiprobè notare, & observare potuere. *Neg. II. sua causa quic-*
quampatrocinii habet in exemplo de Constantino Magno allato. Nam
1. quæ hîc contentiosis Episcopis à prudente Imperatore responsa
sunt, tantum conciliationis gratiâ dicta sunt. 2. Ex ipso Episcopo-
rum facto proclive est colligere, quod illi non Pontificem sed Im-
peratorem Rom. causarum, & negotiorum suorum judicem com-
petentem esse judicaverint: alioqui causas suas ad illum non detu-
lissent. 3. Testis quoque est historia Ecclesiastica Imperatorem
Constantinum, etiam in causis Episcoporum, judicium exercuisse,
quando illos ad Synodum Nicæam edicto suo, cui etiam paruerunt,
convocavit. Eademq; potestate successores quoq; ipsius usi sunt, cui
etiam ipsi Pontifices Romani se submiserunt. Videatur *Epist. Aga-*
thonis ad Imperatores Romanos, quorum jussu Concilium VI.
erat convocatum. Item Epistol. 100. Gregorii Magni ad Imp. Mauri-
tium: & ad Theodorum Epist. 103. III. *Bellarmini ratio admodum*
ridicula est, quia 1. mutatur genus prædicationis usitatum, in figu-
ratum & inusitatum. 2. Oves primariò & principaliter dicuntur nõ
respectu ministrorum Ecclesiæ, sed Christi, qui illas suo sanguine re-
demit. IV. *Dictum Pauli 1. Cor. 2. v. 15.* perverso quoq; modo à
Canonistis ad rem præsentem detorquetur. Nam 1. illi Clerici in
Ecclesia pontificia nihil minus sunt quàm homines spirituales, cū
omnis generis voluptatibus carnalibus sint dediti. 2. quia omnes
credentes sunt spirituales. Et sic omnes credentes ab hac potestate
politica essent exempti. 3. Loquitur itaq; Apostol. de reb. spiritua-
lib. in quibus dijudicandis spiritualis homo, i. e. homo renatus, &
illuminatus. Sp. S. à nullo animali homine, i. e. tali homine, qui o-
mnia animæ cogitationib. tribuit, & nullo superno egere arbitratur
auxilio, convinci potest erroris. Sunt igitur quatuor termini, quia
nostra quæstio est de rebus ad hoc seculum pertinentib. V. *Ad pri-*
vilegia Imperatorum, quæ jactitant & crepant. R. Quod quidè Chri-
stiani Casares, Reges & Principes pio & prudenti cõsilio, in causis
civilib. personas Ecclesiasticas jurisdictioni inferiorum Magistra-
tuum in singulis oppidis & pagis exemerint; earumq; inspectio-
nem & dijudicationem, vel Episcopis vel Consistoriis Ecclesiasti-
cis commiserint: in criminalibus tamen publicis Imperii judiciis
illas omninò subjectas voluisse videre licet *in Novellis Constit. 5. 16.*
37. 67. 79. 83. 86. 123.

Quæst. VIII. An Electi fidem & Spiritus sancti inhabitantis gratiam possint excutere & amittere? Stapletonus in promptuario Catholico super hoc Evangelium p. 58. rectè demonstrat contra Calvinum fidem amitti posse. Et primò recitat verba *Calvini* ex *Instit.* l. 3. c. 2. 10. 9. 11. & 12. ita: *Unicam*, inquit, *Calvinus* piorum fidem, ut *Scriptura* docet, agnoscimus, & prædicamus. Et paulò post: ut solos Electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vitæ, eorum cordibus insitum; ita solidè in illis obsequat adoptionis suæ gratiam ut stabilis ac rata sit. Et iterum: Hoc tenendum, quantumvis exigua sit ac debilis in Electis fides; quia tamen Spiritus Dei certè illis arrha est, ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex illorum cordibus deleri posse ejus sculpturam. Hæc ille impius, ut suam indelebilem, & solam Electorum fidem statuatur. Eiusdem profanitatis flosculos legere licet in Scriptis aliorum Calvinistarum ut *Beza* in *Colloq.* *Mompelg.* fol. 464. *Zanchii* in *Miscell.* fol. 72. *Grynæi* in *Thesauro Loc. Comm. Piscatoris* in *Germ. Bibl.* ad cap. 8. *Rom. Trelcatii*, *Bucani* & aliorum. Sed contrarium Stapletonus d. l. Calvinianis ex textu nostro Evangelico demonstrat. Discipuli ipsi, inquit, in hoc Evangelio, quos de numero reprobatorum esse, nec ipse Calvinus dicere ausus fuerit, qui de numero Electorum certissimè erant, tamen ita debilem, & fragilem, & jam jam perituram fidem habebant, ipso quoque Christo eis presente, ut nisi ab eo promptam opem accepissent, fidem in Christum amisissent. Quod ergo in Electis ipsis minuitur, & deficit, quis dubitat quin etiam deleri possit? Et hæcenus Stapletonus orthodoxum egit, sed non diu; multa enim *εἰρηδοξα* eodem in loco inspersit & adjecit, de quibus in subsequentibus quæstionibus. Nos pro meliori quæstionis intelligentia initio distinguentes 1. Inter Renatos & Electos. 2. Amissionem fidei totalem & finalem, dicimus, Renatos posse tùm totaliter, tùm finaliter fidem amittere: Electos verò totaliter quidem, sed finaliter non perdere fidem. Idquæ; ulterius II. probamus manifestis *Scriptura* oraculis, ex quibus argumenta contra perniciosum errorem Calvinianorum bonâ consequentiâ facilè exprimi & expromi possunt. Hujusmodi sunt: *Ezech.* 18. v. 26. c. 33. v. 12. 13. *Psal.* 51. v. 12. *Matth.* 18. v. 32. c. 24. v. 12. 13. c. 15. v. 28. *Luc.* 8. v. 13. c. 11. v. 24. *Joh.* 8. v. 34. *Rom.* 8. v. 13. c. 11. v. 20. 1. *Cor.* 6. v. ult. 1. *Cor.* 10. v. 12. *Gal.* 5. v. 4. 1. *Timoth.* 1. v. 5. 6. & 19. *Hebr.* 3. v. 6. c. 6. v. 4. 5. 6. 2. *Petr.* 2. v. 20. 21. 1. *Joh.*

1. Job. 4. v. 20. Apoc. 2. v. 4. 5. c. 3. v. 2. III. Exemplis passim in thea-
 tro Biblico obviis: ut Angelorum Job. 8. v. 44. Epist. Judæ v. 6. pri-
 morum parentum Gen. 3. Aaronis Exod. 32. v. 1. & seqq. Saulis 1. Sa-
 muel. 9. v. 12. & 1. Sam. 26. v. 14. Davidis 1. Reg. 3. v. 3. c. 8. v. 15.
 Salomonis 1. Reg. 11. v. 15. Ninevitarum Nabum 1. Petri, Thomæ, Si-
 monis Magi, Galatarum Gal. 5. v. 4. Alexandri 1. Tim. 1. v. 19. Hyme-
 nai & Phileti 2. Tim. 2. v. 10. IV. Rationibus: quia 1. Scriptura,
 cum de lapsu Sanctorum loquitur tales phrasas, & formulas usur-
 pat, ut aperte innuat istos peccando unâ perdere, & excutere fidem
 veram, ut Esa. 1. v. 4. ab alienare se retrorsum & avertere. Esa. 5. v.
 3. Jer. 11. v. 21. Gal. 3. v. 3. c. 5. v. 4. 1. Thess. 5. v. 20. 1. Tim. 1. v. 19.
 1. Tim. 4. v. 1. Hebr. 3. v. 12. c. 10. v. 35. 2. quia nemo absolutè & si-
 ne conditione obedientiæ in gratiam & foedus recipitur 2. Paral. 15.
 v. 2. Esa. 1. v. 19. Rom. 11. v. 7. 1. Cor. 15. v. 2. Hebr. 3. v. 7. 3. quia
 frustaneæ essent istæ commonefactiones, quæ passim in sacris lite-
 ris instituuntur, ne Sancti peccent, & peccando Spiritum S. excu-
 tiant: quales leguntur Job. 5. v. 14. 1. Cor. 6. v. 9. 10. Galat. 5. v. 19.
 20. 1. Pet. 2. v. 11. Apoc. 3. v. 11. 4. quia omnes defectionis causæ
 cadere possunt in Sanctos, ut sunt, intermissio pœnitentiæ; con-
 temtus mediõrum; prava conversatio; nimia crudelitas; peccata
 contra conscientiam; amor voluptatum; horror persecutionum;
 studium divitiarum; elatio & contemptus fratrum; securitas & tor-
 por; malignitas cordis adversus comminationes divinas; & tan-
 dem induratio cordis. Plures rationes vide apud Dn. Doct. Præsidi.
 Tom. 4. Locorum Theol. pag. 385. & Dn. Doct. Meisnerum Anthro-
 pol. sac. dec. 2. disp. 19. V. Patribus unanimiter consentientibus, ut
 Tertullian. c. 3. præscript. Cyprian. Epist. 7. Athanas. orat. 4. contra
 Arian. Irenæ. l. 1. adversus hæres. c. 1. num. 32. August. l. 10. Confess. c.
 32. Basil. ad Chilonem Hieronym. in c. 5. Ose. Bernh. serm. 2. de resur-
 rect. Domin. VI. Propriis quorundam Calvinianorum Testimoniis,
 ut Martyris in 1. Cor. 13. Musculi Hemmingii in cap. 14. ad Rom. Pe-
 tri Bertii in Hymenæo desertore, sive de Sanctorum apostasia. Ar-
 gumenta Adversariorum, quæ hîc magno numero adferunt, plenè
 ac planè refutata. Vide apud Theologos nostros, Præceptores meos
 aeternum venerandos, in primis Dn. Doct. Præsidem d. l. p. 403. &
 Dn. Doct. Meisnerum loco citato.

Quæst. IX. An per quodvis peccatum mortale fides excuti & amit-
 ti possit? Sicut Stapletonus antegressæ quæstionis affirmativam pla-
 nè eg-

me ^{ἐπιδοξάζων} asseruit: ita hujus negativam planè ^{καὶ οὐδὲν ἕως} eodem
in loco pag. 60. statuere haut veretur, hisce verbis: Ex hoc E-
angelio evertitur magnum illud Lutheranorum, & impium axio-
ma, fidem per quodvis peccatum mortale excuti & amitti. Quod
ideò fraudulentè dicunt, ut videantur, quam solam fidem justificare &
salvare asserunt, fidem intelligere cum virtute & bonis operib. necessariò
conjunctam. Et post pauca: Si per quodvis peccatum mortale fides ex-
cutitur, debet in quolibet esse equalis fides. Nunc a. pleriq; nō nisi sepius
peccando, & sepius recidivando, eò tandem perveniunt, ut & fidē ipsam
amittant. Quemadmodum certè si arboris propagines omnes suppulla-
lare incipientes evellat, radix tandem arefcit, paucissimi a. fortè nulli
sunt, quorū tam debilis fides est, ut uno tantū scelere perpetrato, ut cū
flagitioso, statim excutiat, & in apertā blasphemiam convertatur,
sicut certè vix ulla arbor tam debili radice nititur, ut uno abscisso pal-
mite arefcit, aut radicis beneficio novos surculos propagare desinat.
Hæc ille. Huic errori adstipulatur Conc. Trid. sess. 6. c. 15. Coster. Enchi-
rid. c. de fide p. 178. Bellarm. l. 1. de Justif. c. 15. statuentes, nullis etiā gra-
vissimis peccatis, fidem amitti posse. ^{ἡ πίστις τοῦ θεοῦ} ^{ἡ πίστις τοῦ θεοῦ} hujus erroris Pō-
tificii est, 1. quod fidem justificantē per nudā notitiam & assensum
non v. per fiduciam definiant; quodq; fidem historicam, miraculo-
rum & salvificam unam esse statuunt. 2. quod etiā dicant, fidē posse
esse solam sine bonis operibus, imò fidem cum horrendis & abomi-
nandis peccatis simul manere. Unde fideles fornicarios, fideles adu-
teros, fideles fures, fideles avaros, ebriosos, maledicos & c. statuunt. Conc.
Trid. sess. 16. c. 15 De his itaq; duobus quæstionibus in subsequ. sigil-
latim agemus. Pro hujus quæstionis decisione hoc loco dicimus,
maximum discrimē esse inter fidem historicā & salvificam. Quam-
vis enim fides salvifica complectatur notitiam, ac proinde sit etiam
fides historica; non tamen omnis fides historica est etiam fides sal-
vifica; siquidem fides salvifica præter notitiam & assensum comple-
ctitur etiam fiducialem apprehensionem Christi, id quod in sequ.
quæstione manifestum evadet. Quæstio itaq; hîc est de fide salvifi-
ca, an illa per peccata mortalia & contra conscientiam possit amit-
ti, quod disertè affirmamus illis fundamentis, quæ in quæstione an-
tegressa fuerunt allata, quæ hîc repetere esset acta agere. Neq; Sta-
pletonus vel tantillum suæ causæ patrocinium habet in eo, quod di-
cit: Si per quodvis peccatum mortale excutitur fides, debet esse in quo-
libet equalis fides & c. 1. n. nulla est ratio connexionis in majore. 2. Si

2. Si fides sumatur pro apprehensione, dicimus, quod in omnibus, qui veram fidem habent, sit æqualis, neq; enim magis apprehendit Christum, qui magnæ est fidei, quàm is qui parvæ, licet ille habeat confidentiam majorem, hîc minorem. 3. Si notitiam & fidē historiarum intelligit, ut certè intelligit, concedimus illam, quandoq; in illis qui contra conscientiam peccant, manere, minimè v. fidē salvificam, de qua nobis hîc quæstio. Simile quod adduxit, eo modo quo fuit adductum, crassum planè est dissimile, est n. inæqualis & dispar ratio fidei salvificæ, cujus jactura est facilis & periculosa, & arboris cui palmites abscinduntur. Deinde si hoc simile, paulò aliter mutatum, rectè applicetur, pro nostra sententiâ magis facit, quàm pro adversariorum. Quamvis n. arbor non statim arescit, tamen palme iste, qui abscinditur, arescit. Sic Scriptura loquitur, quod fideles sint palmites, Christo inserti per fidem, jam si fidem illâ amittunt, palmites quoq; arescunt, & foràs ejiciuntur, quia in Christo non manent. Sed quia hæc omnia ex falsis præsuppositis hypothesebus colliguntur, ad illas infringendas, ulterius progredimur.

Quæst. X. *An fides justificans præter notitiã & assensum complectatur etiam fiduciam?* Inter alia Stapl. in promt. suo Cath. super hoc Evangel. hæc verba, quibus præsentis quæstionis negativam manifestè ponit, profert: *Ex hypothese, ait, adversariorum discipuli Christi jam amiserant fidem, Christus n. eos redarguit, dicēs: Quid timidi estis nominis fidei. Timorem arguit fiducia contrarium, quàm fiduciam veri nominis fidē esse heretici volunt. Si ergo timidi erant, & fiducia carebant, fides quoq; eorū jam exciderat, juxta hereticos, qui fidem & fiduciam pro eodē habent. Hęc Stapletonus. Qua in parte pleròsq; Pontificios sibi habet ^{in φ 85} propter decretū Conc. Trid. sess. 6. Can. 12. Si quis dixerit, fidem justificantē nihil aliud esse quàm fiduciã divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, quâ justificamur, anathema sit. Verùm cum in objecto fidei, in verbo nempe revelato contineatur promissio Evangelii de gratuita Dei misericordia, & remissione peccatorū propter Christum Mediatorem, & verò fides assentiatur omni Dei verbo; in proclivi est, quod fides sit etiam fiducialis apprehensio Christi, vel q̄ idem est fiducia divinæ misericordiæ propter Christum in verbo Evangelii oblata. Id quod evidenti⁹ seqq. rationib. demonstratur 1. ab Etymologia, quia fides & fiducia unã eandem habent originē, utrumq; n. est à *πίθω*, quod non solum significat *doceo* sed etiam *persuadeo*, & cognitionem.*

tionem habet cum Hebræo **התורה** *suasus, persuasus, inductus fuit*. Ita
 quoq; illud Hebræum **התורה** *fides*, includit istam animi confi-
 dentiam, quia descendit ab **יָדוֹן** *certus, firmus & stabilis* fuit. Atque
 hinc descendit vocula *Amen*, quâ preces clauduntur, ut sint
 certæ, firmæ ac ratæ. 2. à *Synonymia*, quia variis nominibus indi-
 gitatur fides in Scriptura, quæ omnia immotam fiduciam haut ob-
 scurè innuunt. Dicitur enim **δάετος** *vel confidentia* Job. 6. v. ult.
Matth. 9. v. 22. παρηγοεία seu *firma persuasio* Rom. 4. v. 21. Heb. 6. v.
 11. c. 10. v. 22. **παρηγοία** *vel libertas* Ephes. 3. v. 12. Heb. 3. v. 6. c. 4. v.
 16. c. 10. v. 35. 1. Job. 3. v. 21. **πεποιθως** seu *firma fiducia* 2. Cor. 3. v.
 4. Ephes. 3. v. 12. Philip. 3. v. 4. **καυχης** seu *gloriatio* Rom. 5. v. 2. **κα-
 τανυχης** *vel apprehensio* Philip. 3. v. 12. **καταλαβης** *receptio Christi* Jo-
 han. 1. v. 12. Inprimis huc pertinet vocabulum **πιστις** Heb. 11. v. 1.
 3. *Ab Interpretum testimonio*, qui **πιστιν** sæpius reddiderunt per fi-
 duciam. 4. *Ab exegetica declaratione*, quâ fides per fiduciam ex-
 plicatur. 5. *à manifestis dictis Scripturæ*, in quibus fides aliter acci-
 pi nequit, nisi pro fiducia. 6. *Ex locis parallelis in V. Novog, Testa-
 mento* *occurrentibus*. Quæ n. in V. Test. fiduciæ & confidentibus,
 ea in N. Test. credentibus & fidei tribuuntur. 7. *A proprio fidei ob-
 jecto*, quod est promissio gratiæ, & misericordiæ in Christo Media-
 tore. 8. *à Forma fidei justificantis*, quæ est Christum apprehendere,
 seu recipere cum omnibus suis beneficiis 9. *Ab effectibus fidei*, qui
 nudæ notiæ nullo modo adscribi possunt. 10. *à Typicis & Meta-
 phoricis descriptionibus*. 11. *Ab exemplis*, Abrahæ, mulieris Cana-
 nææ & aliorum, quæ non nudam notiæ & assensum, sed cum-
 primis etiam fiduciam notant. 12. *Ab auctoritate Patrum*. 13. *Ab
 Confessione Adversariorum*. Hasce rationes omnes prolixius per-
 tractatas vide apud Dn. Doct. *Præsidentem* Tom. 3. *Loc. Theol. pag. 138.*
& aliquot seqq. & Dn. Doct. Meisnerum in disput. inaugurali de fide
p. 24. & seqq. Nos hîc breviter ad exceptionem Stapletoni respon-
 demus. 1. Distinguendo inter *timorem servilem*, & *filialem*; &
 dicimus, quod timor filialis, qualis fuit discipulorum, sicut thesi
 15. fuit indicatum, probè cum fide possit consistere, unde hæc duo
 sæpè conjunguntur in Psalmis, *Deum timere eidemq; confidere*. Dein-
 de *fiducia* quoq; *dupliciter potest considerari*, partim *ut forma fidei
 justificantis*, quatenus certâ animi persuasionem promissionem gra-
 tiæ amplectitur: partim *ut effectus fidei*; quatenus in suis exercitiis
 crescit.



crescit, & plenior redditur; atq; eo modo fides habet suos gradus ac incrementa, ut quandoq; sit firma, potens & prævalida, quandoq; infirma, languens & modica, quæ & ipsa quidem est fiducia, h. e. apprehensio Christi, sed tamen non habet adjunctam istam audaciam, fortitudinem atq; confidentiam, unde confertur arundini quassatæ, & lino fumiganti *Matth. 12. v. 20. Esa. 42. v. 3.* Et hoc posteriori modo fiducia discipulorum est explicanda, quæ quidem non fuit sine fiduciali apprehensione Christi, unde enim aliàs illa exclamatio, *Domine serva nos, perimus*: Sed tamen multis infirmitatibus adhuc erat circumdata, quia non habebant illam robustam & firmam confidentiam, quæ tanquam exercitium, effectum & adjunctum fidei describitur. Et ex his quadantenus iudicium quit fieri de illa.

Quæst. XI. *An fides recipiat magis & minus?* Discipuli Christi in nostro textu simplicem affirmativam hujus quæstionis comprobare videntur; cum tamen hîc temperamentum aliquod distinctionis sit adhibendum. Fides enim secundum diversos actus potest considerari, 1. *Ratione notitiæ.* 2. *Ratione assensus.* 3. *Fiduciæ in Christum.* 4. *ἀνεροφειας.* Si ultimus cum primis duobus jungatur, fides recipit magis & minus; quia in alio major est notitiæ, major assensus & ἀνεροφειας, quàm in altero. Non verò tertio modo, si fides sumatur pro fiduciali apprehensione Christi. Neq; enim magis apprehendit Christum, qui magnæ est fidei, quàm is qui parvæ & languidæ. Quia 1. salutis ratio non in fidei dignitate & præstantia, sed in solo Christo, quem apprehendit, consistit. Sicut itaque qui manu languidâ aureum nummum accipit, non minus accipit illo, qui eundem manu firmâ & validâ capit: ita languida fides non minus, quàm firmissima in perfectum Salvatorem dirigitur. Unde 2. Deus in fide languescentes non abjicit, sed recipit, manum eis supponens ne collabantur *Psal. 51. v. 18. Esa. 42. v. 1. Gal. 4. v. 9. Philip. 3. v. 12. Rom. 8. v. 26. c. 14. v. 1.* Sed ad quæstionem alteram, quam enodandam promissimus.

Quæst. XII. *An fides vera & justificans à dilectione, & reliquis bonis operibus possit separari?* Nostrorum Theologorum sententia in hac quæstione est: fidem quidem solam justificare, interim tamen non esse solam, hoc est, à dilectione & aliis bonis operibus separatam. Econtrario quænam Adversariorum Romanensium

E

mens

mens sit, inobscure colligere licet, ex verbis Stapletoni & Concilii Tridentini quæst. 9. adductis. Quibus suum *ἐπιλάδορ μέγος* Bellarminus l. 1. de justif. cap. 3. adjicit. Dissentimus, scribens, ab ipsis (Lutheranis) in eo quod ipsi fidem, quam dicunt solam justificare, docent, nunquam esse posse solam, nos contradicimus non justificare solam, sed tamen posse esse solam. Hæc verò diametraliter contrariantur I. Scripturæ dictis, quæ I. fidem & bona opera jungunt. 1. *1. Timoth. 5. vers. 8. Si quis suorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior, Jacob. 2. v. 17. fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Gal. 5. v. 6. 2. Ex Deo natos non peccare asserunt, ut 1. Johan. 5. vers. 1. Johan. 1. vers. 12. & 13. 1. Johan. 3. vers. 9. 10. 1. Johan. 4. vers. 7. & 8. 3. Christum per Spiritum sanctum in credentibus habitare docent *Ephes. 3. vers. 17. c. 1. vers. 13. Galat. 2. v. 20. c. 3. v. 2. & vers. 26. c. 4. v. 4. Ubi ergo Christus & Spiritus sanctus habitant, ibi homines impelluntur ad omnis generis bona opera. II. Aliis rationibus ex Scriptura petitis. Qui enim adhuc delectantur peccatis, in illis non est 1. vera poenitentia. 2. Dei gratia. 3. Regeneratio, cui perpetuò conjuncta est Renovatio. 4. ad Christum accessio. 5. Dei dilectio. 6. Suavitatis, quæ in Deo est, perceptio. 7. Vitæ æternæ fruitio. Ubi verò hæc non adsunt, ibi quoque fides ut adsit tam impossibile est, quam Solem in meridie non lucere, ut enim Sol non est sine luce, generosa arbor sine bonis fructibus, ita fides non est sine operibus sola, sola licet justificet, h. e. operibus, quæ profert, non communicet vim justificandi. His III. Adjunge testimonia veterum nostram sententiam unanimiter confirmantium, ut Irenæi l. 4. c. 14. p. 241. Origenis l. 4. in Epist. ad Rom. c. 4. parte 2. p. 503. Et l. 8. c. 10. in Epist. ad Rom. Cyprian. Hieron. Chrysest. August. Cyrilli, Gregorii, Bernhardi & aliorum, quorum verba legere licet apud Dn. Doctorem Præsidentem Tom. 3. Locor. Theolog. p. 1509. & seqq.**

Quæst. XIII. *An verè credens certâ fiduciâ statuere possit & debeat, se esse apud Deum in gratia? Nemo sui status scire potest vel debet, si enim homo certus esset de hoc, quod in gratia est & predestinatus, posset se extollere & ex elatione gravius cadere, ita colligit pro negativa quæstionis propositæ Pelbartus de Themeswar super hoc Evangelium serm. 2. Cui ad stipulantur, Costerus in Enchirid. cap. de fide pag. 209. Bellarminus l. 3. de justif. c. 2. Remoto itaque hic factorum*

forum statuum cumulo, quos Adversarii nobis fingere, & adfin-
 gere conantur, statuimus: quod quivis verè pœnitens & fidelis,
 ob Christi meritum imputatum, & vi promissionum divinarum,
 certò & sine omni dubitatione queat imò debeat credere, sibi per
 fidem ex Dei gratia, ob Christi satisfactionem, cuncta peccata verè
 esse remissa, ut nihil amplius damnationis in ipso sit reliquum. *Idq;*
propter I. immotam divinarum promissionum certitudinem Jer. 31. v.
33. Os. 2. v. 19. Matth. 5. v. 12. Luc. 21. v. 33. Job. 3. v. 17. Rom. 4. v.
16. c. 3. v. 3. & 4. 2. Tim. 2. v. 13. II. Juramenti divini stabilitatem
Ezech. 33. v. 18. Job. 5. v. 24. c. 8. v. 51. Heb. 6. v. 16. & 17. Hinc Ter-
tullianus l. de pœnitent. O beatos nos! quorum causa jurat Deus, ô mi-
ferrimos! si nec Deo juranti credimus. III. Justitiæ fidei per Sacra-
menta ob signationem Rom. 4. v. 11. 1. Pet. 3. v. 21. 2. Cor. 11. v. 22. Eph.
1. v. 13. c. 4. v. 30. IV. Spiritus sancti in cordibus piorum testificatio-
nem Rom. 8. v. 14. 15. 16. 1. Cor. 2. v. 12. Eph. 1. v. 13. 14. Eph. 4. v. 30.
V. Exauditionis promissæ infallibilitatem Matth. 18. v. 19. c. 21. v. 22.
Marc. 11. v. 24. Job. 16. v. 23. Jacob. 1. v. 6. VI. Fidei justificantis pro-
prietatem, quæ supra quæstione 10. fuere adductæ. VII. Exemplo-
rum Sanctorum, qui certi fuisse narrantur, multitudinem, ut Abelis,
Enochi, Noachi, Abrahami, Davidis, Jobi, Pauli, & aliorum. VIII.
Pronomina applicationem notantia; quando enim fides in ipso ex-
excitio & justificandi actu describitur sæpè Pronomina nostris, no-
bis, me &c. adhibentur in Scripturis, ut Gal. 1. v. 3. c. 2. v. 20. c. 3.
v. 13. IX. Causarum dubitandi remotionem quæ sunt. 1. Propria
indignitas & operum imperfectio. 2. Odii divini suspicio. 3. parti-
cularitas meriti Christi. 4. particularitas vocationis. 5. nostra in-
dispositio. 6. Peccatorum consideratio. 7. Crucis impositio & ca-
lamitatum multiplicatio. 8. Dubitationum, subinde assurgen-
tium, præsentia, quas Scriptura ex omni parte removet. Ergò
meritò acquiescere, & de benevolo Dei affectu certissimi esse debe-
mus. X. Scripturæ finē, quæ inter alia nobis quoq; est data, ut per pœ-
nitentiã & consolationē spem habeamus, non sanè ambiguã dubiã-
que, sed potiùs certã & immotã Rom. 15. v. 4. XI. Dubitationis defor-
mitatē, siquidem dubitatio 1. tollit naturam fidei, quæ est fiducia.
2. Adversatur primæ legis tabulæ, quæ requirit, ut Deo super omnia
confidamus. 3. arguit Deum mēdaciæ & perjurii. 4. impedit efficacē
orationem. 5. adimit consolationem solidam in cruce & tentatio-

nibus. 6. Reddit conscientiam irrequietam. 7. Enervat internam Spiritus S. testificationem. 8. Incertam reddit Sacramentorum efficaciam. 9. Impugnat absolutionis infirmitatem. 10. Oritur ex corruptione carnis. 11. Est ignitum telum dæmonis, 12. signum reprobationis. 13. & mater desperationis. Quæ omnia considerans *B. Luther*. noster rectissimè scripsit in c. 14. Gen. *Etiamsi nihil præterea fuisset in doctrina pontificia, quàm quod docuerūt nos debere vagari & fluctuare ambigentes, & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, justas tamen haberemus causas, cur ab Ecclesia infideli nos sejungeremus.* Ad illationem ergo *Pelbarti*, qua statuit, certitudinem gratiæ posse gignere superbiam quid solidè sit respondendum, vide *Dn. Doctorem Præsidentem Tom. 3. Locor. Theolog. pag. 1280. & seqq.* Nos breviter hîc dicimus, Adversarium committere *elenchum* ἐλεγχον τῆς ἰστορίας. Non enim hîc est quaestio, 1. an credentes in vero timore perpetuò vivere debeant; neque fiducia misericordiæ divinæ ad alendam & confirmandam carnis securitatem, superbiam, inanem gloriationem & animi elationem abuti; hoc enim expressè à nostratibus docetur. Et nullo modo hæc invicem pugnant, quod renati de gratia Dei certi sint, & tamen Deum sincero corde timeant. Neque 2. propriè hoc loco quaeritur, de certitudine Electionis, quam *Pelbartus* innuit, hanc enim non absolutam sed hypotheticam esse, quatenus scilicet media perseverantiæ non spernuntur, sed semper usurpantur, ultrò largimur. Nihil ergo hæc ad certitudinem fidei & divinæ gratiæ infringendam, faciunt. Nos quaestionem hanc concludimus memorabili illo *Bernhardi serm. 3. de fragmentis septempanum. Tria considero, in quibus tota mea spes consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis, murmure jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens: quis tu es, & quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Et ego frudicialiter respondeo. Scio cui credidi & certus sum, qui in caritate nimia adoptavit me, quia verax est in promissione, quia potens in exhibitione &c. hæc tria sic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propria utilitatis, nulla aestimatio cœlestis beatitudinis ab altitudine spei dejicere possit, in ea firmiter radicatum.*

Quæst. XIV. An lamie possint ventos, pluvias, grandines & tempestates exci-

excitare? Vulgaris & constans apud multos, præsertim indoctos,
& rudem plebeculam hæc est opinio: lamias, quas vulgariter vo-
cant veneficas, posse tempestates ventos, flumina, tonitrua, nives,
pluvias, ariditates, grandinem, perniciem frugum, & his similia
producere? Sed I. *ex textu nostro Evangelico percipimus*, quod solus
Christus Deus & homo, sit Dominus maris, tempestatis, ventorum
& omnium Elementorum, admodum igitur in Deum est injurio-
sum, illud creaturis velle adscribere, quod creatoris est proprium.
II. *si lamia possunt* ciere ventos & tempestates, possunt hoc efficere
vi & facultate vel *propria*, vel *aliena*: Non *propria*, fieret enim hoc vel
ratione *Agentis* vel *Instrumentorum*. Non *ratione agentis* quia 1. & la-
mia utiq; homines sunt. Si ergo lamia possunt excitare tempesta-
tes, utiq; omnes homines id possent, 2. lamia plerumq; sunt de-
crepita anicula, vix pulicem loco dimovere valentes. Non *ratione*
Instrumentorum. Jactitant quidem veneficae, & ad delirium usque
sibi persuadent; imò inter torturas constanter profitentur, & in
hac constantia mortem quoq; patiuntur se pleraq; negotia incan-
tationum, fulminum, ventorum, pluviarum & rerum similium
per certas Ceremonias, imprecationes characteres, & ad minicu-
la alia, ipsis à Sathana præscripta, effecisse, ut per scriptas schedu-
las, in quibus continentur ignota vocabula buffos, marthim, par-
chiman; per recitationem certorum rythmorum, per additas cru-
ces & alia signa, per circulos pictos, per coctionem variarum re-
rum, per projectionem arenae aut lapidum post tergum, per profu-
sionem aquæ cum magno impetu; per bipennis illisionem in tra-
bem; per unguenta & olea ex floribus, certo anni tempore colle-
ctis, facta. Et quæ hujusmodi ineptissimorum rituum exempla in-
finita sunt alia, quibus lamia effectus magnos tribuunt; sed deli-
ramenta hæc esse nemo tam delirus est qui non videat? Tempesta-
tes enim excitare, pecora, homines, & agros cogitationibus, cha-
racteribus, imprecationibus, aliisq; Ceremoniis modò enumera-
tis, quomodo lædere possent? Cum 1. verborum humanorum,
quantitatum & figurarum per se nulla sit efficacia, teste Philoso-
pho l. r. Dialect. p. 37. Et si quandoq; sequitur effectus; sequitur
ille propter aliud quippiam, non propter ipsam pronunciatam
imprecationem. 2. Imò sæpè sequitur effectus imprecationis, quã
protulit homo, aliàs à Magia, alienus, ubi acceptum referre decet
even-

eventum, non loquenti, sed Deo operanti & permittenti. 3. si tan-
tas res expedire possent veneficæ, utiq; temporibus bellorum ad-
versus hostes communis patriæ artem suam exercerent, utiq; item
tempore admodum arido suis agris vel pluviam creare, vel grandi-
nem avertere valerent. *Si aliena*, certè diabolica. Atq; sic ne qui-
dem hoc simpliciter præstare posse veneficas asserimus. Nam Dia-
bolus ventos tonitrua, & alia hujusmodi meteora producere non
potest. Finita enim est hujus potentia & à Deo restricta. Quin-
imò; venti sunt substantiæ. At nullam substantiam, vel creare, vel
generare potest Dæmon. Illud enim solius Dei: hoc solius natu-
ræ est, Ergo nec ventos, nec nubes, nec pluvias producere. Id au-
tem lubentes damus, Spiritum illum malignum longo usu expe-
rientia, atq; observationibus exactissimum esse factum Physicum;
& sagacissimum Astronomum, ut ex causis naturalibus omnes fer-
mè tempestates possit præscire & prædicere. Possit insuper virtu-
tem efficientem naturalem promovere; vaporesq; ab uno ad alium
locum transferre, atq; ita in unum conglomerare chaos, ut faci-
lius inde tanta stupenda orientur naturæ corpora. Verum non nisi
permittente magno Deo, hujus enim absq; nutu, ne pilum è capite
nostro surripere est potens. Sed hæc sufficiant. Plura de his lege
*apud Delrium Tom. 1. Disquis. Mag. VVier, l. 2. de prestig. cap. 14. & l. 40
cap. 9. Properandum ad finem.*

Quæst. XV. *An Christo homini Majestas ἡ Ἀβυσσῆ infinita vereq; divina,
verè, ac realiter sit communicata.* Quia hæc quæstio sæpiusculè in usi-
tatis Evangeliorum pericopis recurrit; ideoq; in illa hoc loco eri-
mus breviores. Illustre vero divinæ Majestatis ἡ Ἀβυσσῆ quidem
propriæ; carni verò assumptæ per unionem hypostaticam realiter
communicatæ testimonium nobis 1. *In presenti historia v. 26. & 27.*
suppeditatur, Siquidem Christus tanquam verus Deus & homo se
hic Dominum ventorum & maris ostendit, ad cujus imperium &
nutum istæ creaturæ protinus obmutescunt, & hoc ipso testatum
reddit, quod etiam secundum humanam naturam ipsi imperium
& plenaria potestas omnium creaturarum, earum etiam quæ in
mari sunt, sit data. Et quanquã in statu exinanitionis non semper
majestatem illam omnipotentiam per carnem exeruit, sed nonnun-
quam, exigente vel gloriã Patris, vel vocatione sua; vel salute suo-
rum, sicut in præfati miraculo subtraxit: Jam tamen in throno
dexteræ Dei collocatus καὶ ἰσθῆος σὺν θεῷ καὶ τῆς θείας δόξης
μέταξῃ

μέτοχ^ς, ut loquitur Eustatius apud Theod. factus, Dominus etiā
ut homo super omnia opera manuum Dei constitutus imperat pō-
tenter omnibus creaturis, in cœlo & in terra. Hoc ipsum quoque
II. ἐπιτῶς ostendunt illustrissima scripturæ testimonia ut Dan. 7. v. 14.
עֲלֵי שָׁמַיִם וְעַל הָאָרֶץ potestas ejus potestas æterna, quæ non auferē-
tur Matth. 11. v. 27. cap. 28. v. 18. data est mihi πάντα ἐξουσία Coloss. 2. v. 9.
Philip. 2. v. 9. & 10. Idem III. συλλογιστικῶς confirmant rationes, quæ bo-
na consequentia è Scriptura ducuntur. Quarū I. sumitur ab Hyposta-
tica unione, Si Λόγος seipsum totū suā naturā, & personā assumptæ car-
ni cōmunicavit: utiq; etiā suam cōmunicavit majestatem, adeoq;
omnia divina idiomata, quæ illius complexu continentur. Sed ve-
rum prius, ergo & posterius. Ratio consequentiæ majoris est, quia
ὑπόστασις ἢ Λόγος & ἰδιώματα divina ἢ Λόγος, sic unum sunt ἀδιαρέτως,
ut nullum prorsus inter ea sit discrimen; sed uno posito necessariō
ponatur & alterum: usque adeò ut si idiomata divina ἢ Λόγος
assumptæ carni non sunt communicata, ipsa etiam ὑπόστασις ἢ Λόγος
non sit communicata. Assumptum probatur ex cap. 1. Ioh. v. 14. Coloss.
2. v. 9. II. à modo unionis. Si nos in altera vita erimus κοινωνοὶ τῆς θεότητος
φύσεως, imò in hac etiam vita 2. Pet. 1. v. 4. 1. Ioh. 1 v. 6. 1. Cor. 1. v. 9.
multò magis utiq; carni Christi communicata est divina majestas,
simulq; omnia idiomata divina, quæ complexu illius continentur.
Ratio: Quia Deus nobis adest tantum παραστατικῶς, Λόγος autem car-
nem assumptam sibi univit ὑποστατικῶς. Atqui verum prius. Ergo
& c. III. A sessione ad dextram æterni Patris, qui sedet ad dextram æterni
Patris, is particeps est majestatis divinæ; simulq; omnium idioma-
tum, quæ ejus complexu continentur. Quia dextera Dei non est
localis, sed honor & gloria Deitatis Psal. 77. v. 17. Psal. 18. v. 36.
Psal. 139. v. 7. Luc. 22. v. 69. Hebr. 8. v. 1. Sed Christus homo sedet
ad dexteram æterni Patris Psal. 10. v. 1. Dan. 7. v. 14. Matth. 22 v. 44.
Luc. 22. v. 69. Apoc. 5. v. 12. Ergo & c. Accedit hūc IV. Vnani-
mis consensus orthodoxorum Patrum, ut Cyrilli l. de incarn. unigen. cap. 11.
Hilarii l. 2. de Trinitate, & aliorum. His etiam V. specialia argumen-
ta de singulis speciebus χαρισμάτων Homini Christo communicato-
rum, quorum in Scriptura expressa fit mentio, addi possent, sed quia
hic brevitati studemus; & alias à nostris præceptoribus summè ve-
nerandis hæc satis nervosè, solidè & copiosè sint pertractata.
Hæc pausam facimus.

Christo. Homini jugis gloria, jugis honos.

CATA-



CATALOGUS

Aliarum quarundam propositionum erronearum, ex nonnullorum adversariorum Postillis collectus.

I. Homo afflictiones accipit pro poenitentia, & per istas non solum ab inferno liberatur, sed saepe etiam poena purgatorii exolvitur. Coster. in Evang. Domin. super hoc Evang. p. 230.

II. Afflictiones ducunt nos in caelum, hic quidem contemnuntur, sed ibi magni ponderis sunt; & carendi debentur. Idem d. l. p. 232.

III. Si quis haberet tot occurrentes cogitationes contra fidem, quot sunt arenae maris, qua etiam tam mala essent, quod etiam vix cor imaginari posset, sive de Deo, vel de Christo, & B. Maria aut aliis sanctis, etiamsi homo eas haberet per longum tempus, puta per 40. aut centum annos, & ultra, etsi nulla peccati voluntaria delectatio sequeretur, peccatum non est. Idem ibid.

IV. Per preces homines sibiipsis & aliis peccatoribus salutem promereri posse. Idem statuit d. l.

V. Martinum Lutherum nihil aliud fecisse quam fistulam inflasse, quia homines jam a multo tempore fuisse paratos ad saltandum, unde cum fistulam illius audivissent, etiam eum mox secutos fuisse. Costerus ex Johanne Lanspergio Cathusiano Colonienfi refert in hanc Domin.

VI. Si unusquisque ex animo, ardentibus precibus Christum invocaret, Christi Ecclesiam suam mox ab omnibus haereticis opinionibus & schismaticis discordiis liberaret, quia dicit, petite & accipietis. Costerus d. l. p. 237.

VII. S. Petrus licet Christum ore in domo Caipha abnegaret, magis ex amore, quam timore, tamen recta semper fides in illo manebat, tanquam in firmo fundamento, quod per Christum factum erat ad edificandum Ecclesiam suam super illud. Idem d. l. p. 238.

VIII. Christum rident quicumque cruces vel textiles vel lineas in vestimentis gestant. Jodocus Nabum super hoc Evang.

IX. Ein vagestümmter Wind ist wider das Schifflein Christi aufgestanden von Aquilon von Mitternacht / durch den Luther / damit des Jeremia Spruch ein Sörgang hette / Von Mitternacht wird offenbaret alles Übel. Johan. Eccius in Postill. super hoc Evangel.

X. Non turbatur navis, quae Petrum habet: turbatur illa, quae Judam habet. Etsi multa illic discipulorum merita navigabant: tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque, Petrus. Sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Habet Beda in Luc. cap. 8.

AD PRAESTANTISSIMUM DOMINUM RESPONDENTEM.

<p>Affector enthei Wilhelme dogmatis Arndi meo, mihiq; ob hunc carissime, Deo benigniter favente, denuo En prodit à te scripta Disputatio, In qua ratem Christi saburrâ liberat</p>	<p>Quam savientes turbines ingesserant, Sic perge, remos mox tibi, quod augu- ror, Nauclerus ille noster optimus dabit. Joh. Gerhard D.</p>
---	---

94 A 7385

ULB Halle
002 728 095

3



VD17



1. An die ...
2. ...
3. An die ...





TIO
æ quartæ
stum.

11

HARDO
FESSORE

itore eter-

mit
ELINGUS

VII.

ANNI.

